



LECTORI.

DVplex pietatis officium est, quod Parentibus præstare filii tenentur, alterum animam, alterum corpus spectat. De posteriori nihil nunc dicam, cum, quod in vulgus notum est, qua ratione id observare oporteat; tum, quia ab eius obligatione Parentum morte absolvimur. Prius autem perpetuam Parentum venerationem internumque cultum a nobis requirit, quem omni occasione publice priuatimque contestari par est. Præcipuum tempus natalis eorum est, quo non latari tantum & gaudere, sed externis quoque signis observantiam declarare solemus. Quod apud omnes cultiores politioresque populos in usu fuit, & luculentissimis scriptorum testimoniis constat. Quoniam vero hodie humanitatis morumque laude inprimis excellunt Sinenses, operæ pretium sit, instituta eorum circa hunc Parentum cultum cognoscere. Ioannes Neuhofius in Descriptione vniuersali Imperii Sinici, quam Itinerario subiecit, cum alias incolarum consuetudines, tum hanc præcipue ignorare nos haud passus est, cuius verba ex versione Germanica cap. IV. pag. 254. dabimus: Es ist fast niemand in Sina/ der nicht seinen Geburts-Tag/ als einen heiligen Tag/ feyret/ also/ daß er etliche mit Geschenken begabet/ eine Gasterey anrichtet/ und andere Freuden-Zeichen verführet lasset. Fürnemlich aber geschieht solches/ wenn sie das siebenzigste Jahr erreichet/ nach welcher Zeit sie allererst unter die Alten gerechnet werden; Dergleichen/ wenn sie über das zehende Jahr gekommen. An diesen Feyer- und Freuden-Tagen schreiben die Söhne/ wenn sie mit zuder Bekehrten Orden gehören/ allerhand Carmina, Epigrammata und

Sinnbilder / welche der Eltern Lob und Ruhm begreifen ; da-
von etliche auch Bücher dem Druck übergeben. Equidem a-
pud veteres Christianos nonnulli negarunt , a iusto quopiam
celebrata fuisse natalitia, idque tantum peccatoribus & impiis
adscripterunt, vt videre est apud Hieronymum, &, quem is sæ-
pe in exegesi Scripturæ sequi solet, Origenem Commentario
in Matthæum pag. 230. 232. aliisque locis, quæ congefferunt
Petrus Daniel Huetius in Notis Origenianis & Ioannes Fronto
Dissertatione de diebus festiuis §. II. Sed placet nobis senten-
tia celeberrimi viri, Casp. Sagittarii Dissert. de Natalitiis Mar-
tyrum cap. 1. §. III. *Neque vero morem istum celebrandi quot-
annis diem natalitium simpliciter improbauerimus: modo pia
adhibeatur moderatio, absit luxus atque superstitio.* Quare
multo minus reiiciendus venit filiorum mos, non in Sinatam-
tum, sed in Europa etiam passim obseruari solitus, vt diem
Parentum natalem solennius excipiant, scriptisque variis signi-
ficent gaudia ob vitam eorum hactenus conseruatam. Nec
quisquam prudentiorum in peiorem partem interpretabitur,
quum eandem religionem apud eos etiam aduerteret alio die,
quo Parentes terris ereptos lugent, ac desiderium doloremque
ex clade accepta, voce pariter ac scriptis declarant. Etenim dies
mortis parentum pii homines ab vetustissimis temporibus solen-
niter recordati sunt, idque Ethnicos etiam consueuisse Æneæ
exemplum apud Virgilium clarissime docet. Nec a Christia-
norum moribus abhorret, quos certum est, *natalis* nomine
illum diem adpellasse, quo non martyres solum, sed alii quo-
que iusti bonique viri decesserant, tum Episcoporum præcipue
obitus statò tempore quotannis solenni pietatis officio excepisse.
Quemadmodum igitur prius sapientissimorum hominum
institutum ab ineunte adolescentia sequutus sum, filialemque
obseruantiam Parenti optimo, quamdiu is in viuis fuit, Kalen-
dis Augusti, qui dies ipsi natalis erat, diuerso scriptionis ge-
nere exposui ac testatam volui: sic posterius quoque imitari
apud animum meum constitui, ex quo Deus sapientissimus Pa-
rentem desideratissimum in meliorem vitam transtulit, me in
sum-

summo luctu atque moerore relicto. Etenim octauus Kalendarum Aprilium dies Patri quidem felicissimus, mihi autem summe infauftus est, quando eiusmodi bono me priuauit, quo plurimis adhuc annis frui latariq; vnice in votis habueram. Verum libenter summi voluntati Numinis me subiiciam, & a maxima eius benignitate meliora in posterum sperabo; vitamque Parentis ac virtutes breuiter hoc schediasmate complectar, ea quidem ratione, vt eundem cum Iacobo Nisibenorum quondam in Mesopotamia Episcopo luculenter conferam, & huius res gestas ex veterum monumentis etiam, illius vero Biographiam, cuius partem Latino sermone conscriptam nobis reliquit, exacte sequar & intuear. Inde vero efficiam, vt Lectores facile cognoscant, vtrumque Iacobum nostrum externis quidem nonnullis institutis dissimilem, internis autem animi dotibus quam simillimum fuisse.

I. Qui magnorum virorum laudes decantare cupiunt, initio commemorare solent, vbi, & a quibus nati fuerint. Quod cum a me quoque exigere videam, tum de Iacobi Nisibensis parentibus nihil apud antiquos scriptores reperiō. Theodoretus in Philotheo seu Historia Religiosa Iacobi nostri vitam & miracula prolixissime celebrauit, eiusq; parentes plane præterit, patriam autem pag. 764. To. III. Operum editionis Parisiensis, ita descripsit: Νίσιβις ὅτι πόλις ἐν μεσορίᾳ τῆς Ῥωμαίων καὶ περσῶν βασιλείας, ἥ παλαιὰ μὲν Ῥωμαίοις ἐδασμοφόροι, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἡγεμονίαν ἔτελει. Ἐκ τούτης ὀρμώμενος ὁ μέγας Ἰάκωβος. Consentit Theodorus Byzantius, qui docente Ger. Ioan. Vossio Lib. II. de Histor. Græcis cap. XXII. sexto ineunte sæculo floruit, & maioris Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector fuit, & in Excerptis Historiæ Ecclesiasticæ post alios ab Henrico Valeſio editis, pag. 553. inquit: ὁ νισιβινὸς ἦν ὁ μέγας Ἰάκωβος, Magnus Iacobus Nisibi erat oriundus. Nisibis clara olim Mesopotamiæ vrbs fuit, & quæ de eanon apud Latinos tantum & Græcos, sed Arabicos etiam scriptores atq; in numis occurrunt, ad satietatem vsque congesſerunt post Bochartum in Geographia Iacobus Golius Notis in Alferganum a pag.

pag. 236. & Ezechiel Spanhemius Dissertatione nona de præstantia
& vsu Numismatum. Quoniam vero hi præstantissimi libri omnib;
nō sunt ad manus, operæpretiū esse puto, nōnulla inde transferre.
Nomen ciuitatis diuersimode scribitur, Nāfibis, Nesibis, & Nisibis,
ac postrema appellatio vulgo frequentius tradi solet. Sed Span-
hemius secundam præfert pag. 908. quia domestica Numismatum
auctoritate nitatur. Samuel Bochartus in eadem est sententia, sed a-
liam causam allegat, quod *Nesibis* ad traditam illius vocis a
Stephano originē propiō accedere videatur. Testatur enim Stephe-
nus Byzantinus in Opere de Urbibus, nomen illud auctore Phi-
lone Syris notare *columnas*, Vranio Phœnicibus *congestos a-*
ceruos. Verum aliter ac convenientius sentit Golius: *Vtique*
נציבון *codem modo ac Arabice (نصيبون) scriptum, plurale est:*
quapropter, teste Camousio, etiam نَصَبُونٌ dicitur. Et scuti
nomen illud singulare Hebr. Chald. Arab. Stationis firmæ & fi-
xæ significationem habet, ita Nisibin per se stationes & præsidia,
vel stationarios & præsidēs notare manifestum est; *ut talium*
potius, quam columnarum vrbs designari videatur. Idque sta-
tim ex veteri vrbs illius historia probat Golius, quæ cum in-
confinio quondam fuerit regni Romanorum & Persarum, nunc
Romanorum, (nam coloniam eo diduxerat Philippus Arabs Im-
perator, ut ex numis præclare docet Spanhemius pag. 773.) nunc
Persarum validis præsidiis communita habebatur, donec ex pro-
ditione Iouiani in perpetuam Persarum venit potestatem, vnde
Persicæ ditionis ciuitas Socrati vocatur Hist. Eccles. Lib. VII.
c. 8. & Gennadius in Catalogo Iacobum nostrum nuncupat *Ni-*
sibene nobilis Persarum modo ciuitatis Episcopum, ut in vulgatis li-
bris habetur, siue ut ex Codice Corbeiensi legit Ioannes Mabil-
lonius Tomo secundo Veterum Analectorum pag. 44. *Nisibi vr-*
bia nobilis Episcopum, modo vero Persarum ciuitatis. Caterum
celebris vrbs par cum aliis fatum experta est, quod his verbis
Golius describit: *Hoc nostro tempore totam pene collapsam esse*
Nisibin, ab iis, qui reliquias spectarunt, accepi. Cui geminum
est Angeli a S. Ioseph testimonium, quod infra dabimus, cum
ad sepulturam Iacobi Nisibensis perueniemus.

II. Sa-

II. Satis de Iacobi Nisibensis patria diximus: Iacobi etiam Tentzelii natales describemus. Ita enim ipse initio Biographiae suae & locum ubi genitus, & parentes tempusque natiuitatis consignauit: *Natus ego Iacobus Tentzelius sum Greussenae ipsae Calendis Augusti Anno 1110c xxx. Patre Ernesto Tentzelio, Consule, Matre, Barbara Happia.* Greussenae oppidum Thuringiae est haud spernendum, & magno quidem aedificiorum numero non abundat, agro tamen fertili praeditum labores incolarum non sinit esse frustraneos. A quo suam acceperit originem, obscurum est, postquam magna monumentorum civilium pars tristi superioris saeculi incendio periit; unde etiam de antiquo illius urbis statu parum constat. Non possum tamen, quin adscribam memorabilem locum ex Pauli Iouii Chronico Schvartzburgico Lib. II. cap. XV. pag. 181. 182. Anno 1260. als Marggraff Heinrich zu Meissen das Thüringerland wieder die Herzogin zu Brabant mit streitender Hand erhalten/hat er dasselbe beneben der Pfalz zu Sachsen alsobald seinem Sohne Alberto übergeben und eingeräumt/ der denn hinwiederum in diesem Jahr Graff Heinrichen zu Hohnstein um seiner treuen Dienste willen/ die er ihm und seinem Herren Vater in während dem Kriege bewiesen/ die Dörffer Greussen erstmals conferret und verliehen/ so vormahls und biß dahero zu dem Land-Graffschumb Thüringen gehörig gewesen/ hat ihm auch darneben vergömet und zugelassen/ eine Burg/ oder Festung in gedachten Greussen/ ausgenommen zu March-Greussen/nach seinem Willen anzulegen und zu bauen. Hieraus ist abzunehmen/dasß mehr als zwey Greussen müssen geweest seyn/ wo aber das dritte gelegen gewesen/ davon hab ich keine Nachricht. Equidem a Comitibus Hohnsteinicis ad Schvartzburgicos delatum est feudum illud, quo fit, ut hodiernum Greussenae Illustrissima illi domui pareat. Perperam autem putat Iouius, tres olim fuisse Greussenas: nam non nisi duae tam isto quam nostro tempore existerunt, quorum una est Tentzelii nostri patria, altera pagus non longe ab ea distitus, qui West-Greussen ab indigenis vocari solet. Imposuit Iouio nomen March-Greussen / qui tamen meminisse debu-

debuerat eorum, quæ Lib. V. cap. XXXII. pag. 813. ipse refert de Günthero, vigesimo nono huius nominis Comite Schvvarzburgico, daß Er seiner Gemahlin anno 1396. verschrieben hundert Mark lörges Silbers jährlicher Gülte zum Leihgeding an der Stadt Mark Greußen und Elingen. Vnde autem hæc denominatio sumta sit, non satis cognitum habeo. Videtur ea sapere antiquissimam Gothorum, a quibus Thuringi etiam natales suos deriuant, linguā & idioma, quibus *Markos sunt Limi- res vel termini alicuius regionis*, vt ex Noui Testamenti versione Gothica aliisque argumentis probauit Franciscus Iunius in Glossario Gothico pag. 248. Quare aliqua ratione daretur quoque conuenientia inter vtriusque Iacobi patriam. Nisibis enim terminus fuit imperii Romanorum & Persarum. Cuius autem tractus limes fuerit Greussenæ, hætenus compertum nobis haud est.

III. Quemadmodum iuuentutis annos transegerit Iacobus Nisibensis, prolixè enarrat Theodoretus in Historia Religiosa, refertque eum elegisse vitam solitariam, & in siluis montibusque commoratum fructibus arborum oleribusque ad vitam sustentandam usum esse. Corpus autem affligendo spiritale alimentum animæ quotidie suppeditasse, & prophetica futurorum præuisione miraculisque claruisse, quorum vnum in Perside ab ipso perpetratum latius describit, idque brevioribus verbis a Theodoro Lectore pag. 553. comprehensum recensebimus: ὁ πῶς δὲ ἦν ἐν ἀρετῇ, ἐδείξεν τὸ περὶ τὰς πλυνέσας ἑλληνίδας κόρας ἐν τῇ πηγῇ, αἱ τινες ἐπὶ τῷ ῥήματι ἰακώβου ἐπολιώθησαν, καὶ ἡ πηγὴ ἐξηράνθη, ἣν εὐχόμενος πάλιν, ἀπεκατέστη. τὰς μὲν τοι κόρας πεπολιώσθαι κατέλιπε. Quanto autem virtute præditus fuerit, apparet ex miraculo, quod factum est in puellis quibusdam Gentilibus, quæ lauabant in fonte. Itæ enim post imprecationem Iacobi inuenerunt, & fons ipse exaruit, quem mox Iacobus orationibus suis restituit: Puellas vero ipsas canas reliquit. Aliud miraculum subiicit Theodoretus, de quodam iudice Persa iniquam sententiam proferente; qui ad reuocandam priorem, melioremque dicendam impulsus fuerit.

maxi-

maximi lapidis comminatione post Iacobi execrationem facta. Inde ad Episcopatum vrbis patriæ promotus est, quo facto habitationem quidem montanam cum vrbana & *κτ' ὑμῶν*, non ex animi sententia commutauit, sed tamen nec cibum nec vestitum aliter instituit. In eo officio curam gesit indigentium omnium, & viduis, orphanis, iniuriaque oppressis attulit auxilium, quam in rem citato loco Theodoretus pluribus videri potest.

IV. Nec perdidit adolescentiam beatus Parens meus, sed egregiam indolem stupendamque memoriam nactus libentissime animo comprehendit, quæ ad solidam eruditionem faciunt; eaque comparata per Diaconatus gradum in Ecclesia patriæ acceptum ad superiores adscendit. Audiamus verba ipsius ex citata Biographia: *Post iacta in sinu matris & intra priuatos parietes pietatis fundamenta initio quidem Schola Greussenſi concreditus, paullo autem post ob maximos belli motus Erfordiam anno 1636. missus, ibiq; sub informatione diversorum preceptorum priuatorum ad annum vsque 1643 educatus fui, quo in ipso Greussenam redux ibi Duce charissimo fratre, Ernesto Tenzelio, ulterius literis incubui, atq; eos per Dei benedictionem progressus feci, vt anno 1647. mense Nouembri ad Academiam Wittenbergensem missus fuero, quam ingressus S. Theologiae præcipue nomen dedi, insimul tamen studia quoque Philosophicæ tractaui, atque d. 23. Aprilis 1649. summum in Philosophia gradum adeptus sum, quo excitatus Domin. Iudica 1650. primum Collegium priuatum publice de consensu Facultatis Philosophicæ aperui, sequentibus etiam annis Linguas, Græcam, Ebraeam, Chaldaeam, Syram atq; Arabicam, nec minus omnes fere Philosophiæ partes legendo & respectiue etiam disputando priuatim proposui, & in Philosophia Respondentis ter & ultra vicies publicas Præsidis partes sustinui. Anno 1654. Calendis Maii in numerum Adiutorum Facultatis Philosophicæ publice receptus sum. In Theologia sexies respondentis partes in me suscepti, his Disputationum Auditor. Anno 1655. a Facultate Theologica potestatem Theologicam legendo quam disputando priuatim tractandi eaque publice iniiciendi accepi. Anno 1657. ad Diaconatum Greussenſem*

d. 2. Maii legitime vocatus sum. Eodem anno a Facultate Theo-
 logica Wittebergenſi Licentiam aſſumendi gradum in Theolo-
 gia ſummum petii eamq; impetravi, vt d. 13. Septembris poſt ex-
 hibita conſuecta ſpecimina a Dn. D. Andrea Kunado, tunc Decano,
 ſolemniter Licentiatuſ Theologia renunciatus fuerim. D. 24. O-
 ctobris eiusdem anni Witteberga ad ſuſceptam functionem Eccle-
 ſiaſticam abii, dieque 29. Octobris Greuſſenam perueni. D. 15. No-
 vembriſ ſ. Domin. XXV. poſt Trin. Ebelebia ordinatus ſum, d.
 22. Nouembr. ſeu Domin. XXVI. poſt Trinit. Concionem meam
 inauguralem habui. D. 10. Decembris a Perilluſtri & Generoſiſ-
 ſimo Dn Dn. Ludonico Guntbero, Com. de Svvartzburg & Hohn-
 ſtein & c. Domino meo perquam gratioſo, confirmationem in Dia-
 conatu Greuſſenſi, aſſecuratam promiſſionem ſucceſſionis in Paſto-
 ratu Greuſſenſi & Inſpectionis, nec minus vocationem ad Aſſeſſu-
 ram Conſiſtorii Ebelebia - Svvartzburgici accepi. Anno
 1658. d. 16. Febr. cum lectiſſima virgine Sophia Eliſabethe,
 B. Wilhelmi Lyſeri SS. Theologia D. & PP Wittebergenſis reli-
 ctæ filia ſponſalia publica celebravi. Idem matrimonium d. XX.
 Aprilis eiusdem anni Witteberga conſummati, poſt d. 8. Maii
 cum hac Mea Greuſſenam veni. Eodem anno d. VI. Novembris
 Inſpectio Eccleſiaſtica ſive Superintendentura, quam vocant, Comi-
 ſariis Svvartzburgici portionis Ebelebienſis demandata mihi fuit,
 quam ſicut in nomine SS. Trinitatis in me ſuſcepi, ita d. XXV. No-
 vembriſ omnes Domini Paſtores numero XXI. reverentiam & o-
 bedientiam ſtipulatæ manu mihi promiſerunt. Anno 1659. Pa-
 ſtoratu Greuſſenſi poſt exceſſum Dn. Chriſtoph. Toppii vacante
 vocatio ante biennium promiſſa d. XX. Maii mihi exhibita atque
 paulo poſt Generoſiſſimi Comitſ noſtri Confirmatione corroborata
 fuit. Anno 1662. d. XIII. Octobris Witteberga a Dn. D. Job.
 Andrea Quenſtedt Docttor Theologia ſolemniter renunciatus fui
 inter ſeptem competitorſ ſecundus, ſumtus erogante maximam
 partem Illuſtriſſimo Dn. Dno Ludovico Guntbero Com. Svvartz-
 burgico, Dno meo gratioſiſſimo. Faxit DEus ut novi honores in
 ipſis gloria & Eccleſiæ emolumentū cedant. Porro noſter Greuſſenæ
 permansiſt vsque ad an. 1671. quo Arnſtadiam ab eodem Illuſtriſ-
 ſimo Comite ad primariū Antiſticis munus, & quæ ei connexa
 ſunt

sunt, transfatus est; quod usque ad vitæ finem strenue administravit, quanquam ad splendidissimas Professiones Theologicas in Academicis Wittenbergensi, Regiomontana & Ienensi, aliasque functiones Ecclesiasticas in clarissimis quibusdam urbibus obsequandas vel denominatus vel requisitus fuit. In eo autem cum Iacobo Nisibensi comparari potest, quod in patria pariter precipue Sacerdotii officio functus est, nec minori cura pupillos aliosque pauperes respexit: siquidem artibus imprimis liberalibus deditos liberaliter prosequutus Stipendia in schola Arnstadiensi ipsis deputata, quorum usus pene collapsus erat, in integrum restituit, atque quotannis distribui curavit.

V. Vterque porro Iacobus noster tantam spartam nactus vitæ & scriptis ornandam sibi censuit. Iacobo Nisibensi ἀποστολική πολιτείαν, Apostolicam conversationem tribuit Theodoretus, ac de eo adserit, quod τῆς ἀποστολικῆς χάριτος τὰς ἀλλήλους ἐκείνους, Apostolica gratia radiis coruscavit. Equidem πολιτείαν Græci scriptores ecclesiastici sæpe pro bonis operibus vitæque integritate solent usurpare, ut ex Chrysostomo docet Isaacus Casaubonus Exerc. 1. ad Annales Baronii diatriba 9. pag. 43. & pluribus explicat Desiderius Heraldus, Notis in Tertulliani Apologeticum a pagina 287. Multa eam in rem exempla suppeditat Clementis Romani epistola ad Corinthios, unde nonnulla adferre operæ pretium existimo. Nam cap. II. Corinthios ante schisma exortum vocat τῇ παναγίῳ καὶ σεβασμῷ πολιτείᾳ κεκοσμημένους, ornatos veneranda & omnibus numeris absolutâ conversatione. Et verbum πολιτεύομαι sæpe in ea significatione accipit, Paullumq; & Petrum Apostolos cap. VI. nuncupat ἀνδρας θεῶς πολιτευσαμένους, vti Patritius quidem Iunius edidit, sed Ioannes Fellus Notis in secundam Clementis epistolam ad pag. 14. legendum pronunciat ὁσῶς. Quum enim illius epistolæ auctor suos hortetur ad ἐργὰ ὅσα καὶ δίκαια, Fellus sequentia animaduertit: Sic lego admonente viro erudito, qui concilium Alexandrinum diligenter evolvens observavit ἥδη non semel pro ὅσα literarum ductu admodum consimili Iunium falente substitui. Unde speciatim cap. 6. primæ epistolæ lectio corrigenda

rigenda est, ut scribatur ὁτως, non θείας πολιτεύσασιν. Quan-
quam enim dicamur θείας κοινωνοὶ Φύσεως 2. Pet. 1. 4. & Matthe-
5. 48. iubeamur τέλειοι εἶναι ὡς περ ὁ πατήρ ὁ ἐν τοῖς ἔθουοις
τέλειός ἐστι, nullibi facile occurrat istiusmodi dicendi formula,
ut dicantur aliqui θείας πολιτεύσασιν. Inde autem colligere
licet, quid sit Ἀποστολική πολιτεία, quam in Iacobo Nisibensi
laudat Theodoretus, qui tamen strictius id vocabuli accipere
videtur, ut Ἀποστολικὴν χάριν simul includat, quam ipsi pariter
tribuit in Philotheo p. 768. Χάρισμα nimirum miraculorum
precipue respicit, quod ubicunque Iacobi meminit, maxime en-
comiis commemorat. Tria autem miracula ab eo in Episcopa-
tu facta refert in Historia religiosa, quorum primum est de mor-
tuo suscitato, cuius & meminit lib. 1. Hist. Eccl. cap. 7. Ἰακώ-
βος μὴν γὰρ ὁ ἀνποχείας τῆς μυγδονίας, σέβοι δὲ αὐτὴν καὶ ἀσ-
σύριοι νισβιν ὀνομάζουσι, καὶ νεκρὸς ἀνέστη καὶ ἐν τοῖς ζῶσι
συνέταξε, καὶ ἄλλα μυρία εἰργάσατο θαύματα. Secundum
est de morte Arii, quem ait Nicææ periisse. Statim a Concilio,
Iacobo ieiunium omnibus persuadente; cum Alexandriæ Ep-
iscopus renueret hæresiarcham recipere. Verum Ioan. Garne-
rius in Austario Theodoretī ante biennium Parisiis edito, Dis-
sert. II. de Libris eius pag. 200. censet, memoria lapsum esse
Theodoretum. Nam constat certis testimoniis, Arium Constā-
tinopoli periisse, decimo post Concilium anno, Iacobo procul
posito, Alexandro Constantinopolis Prasule renuente Arium in
Ecclēsiā recipere, Macario Alexandrino Presbytero preces su-
as Prasulis Constantinopolitani precibus adiungente. Videndus
Socrates lib. 1. cap. 25. Sozomenus lib. 2. cap. 18. & Theodoretus
ipse libro 1. Hist. Eccles. ubi suum huiusce loci errorem allatis
Athanasii rem totam narrantis literis ad Apionem tacite re-
vocat. Mirum profecto tantum Theodoretī errorem non fuisse
obseruatum a Baronio, viro tam perspicaci; mirum quoque, per
incogitantiam a Valesio latino Interprete & ab interprete Gal-
lico Valesium secuto in re tam aperta peccatum esse. Historiam
anim Ecclesiasticam cum Religiosa confuderunt in hac siquidem
est error, quem illi tribuerunt, in qua tamen de Arii morte ni-
hil

bil, nisi Athanasii verbis, ex arte ad veritatem refertur. Interpres Gallicus, quem notat Garnerius, est Dominus Cousin, Curia Monetaria Praeses, qui Historiam Theodoretii Ecclesiasticam ex versione Latina Valesii Gallice edidit, ut idem Garnerius docet pag. 106. sed verba Valesii, quae Cousinum decepisse vult Garnerius, notis ad Lib. I. Hist. Eccl. Theodoretii Cap. XIV. reperiuntur. Caterum ex hoc loco satis patere existimo, Theodoretum magis vulgi sermonibus, quam accuratiori recensio in Philotheo studuisse, quod multas in eo libro narrationes suspectas reddit. Tertium miraculum, in quo admodum prolixus est Theodoretus, tam in Historia Religiosa, quam Ecclesiastica lib. II. c. 30. brevioribus lineis describitur a Philostorgio Lib. III. Histor. Eccl. imemate 23. quod in editione Valesii correctius habetur, quam in priori a Iacobo Gothofredo concinnata. Ait autem Philostorgius, Saporem Persarum Regem Romanis bellum intulisse, & Nisibin urbem oppugnasse: verum re infecta, prae omnium opinionem, pudore affectum recessisse, cum Iacobus urbis illius Episcopus, civibus quid faciendum esset monstrasset, & firma in Deum spe ac fiducia pro salute urbis admirabiliter propugnasset; ut vertit Valesius. Gothofredus in Dissertationibus pag. 84. adstruit inde Petavii ad Iulianum & Valesii ad Marcellinum veram sententiam, qui tres diversas Nisibis obsidiones recte distinguentes, hanc secundam, & Iacobi Episc. Nisibeni factum, ad A.D. 350. referendam ostenderunt. Porro Valesius in Notis ad Theodoretum ostendit, eum memoria lapsus esse, & duos priores Nisibis obsidiones in unam confudisse, cui accedit, Garnerius supra citato loco. Nec minus ablucinator Abulpharagius, qui duas Nisibis obsidiones miraculosis precibus solutas esse vult, alteram quidem Iacobi & Ephremi pag. 85. alteram Ephremi solius orationibus pag. 87. sed instar foricis se prodit, quando ciniphes & culices Elephantis immisos Ephremi precibus tribuit, quod de Iacobo disertissime adfirmat Theodoretus. Multo vero magis erravit Patricides, quando To. I. Annalium pag. 376. Nisibin obsessam scribit a Sapore sub imperio Antonini Caracallae, & paullo post precibus a toto Sapo-

sis

nis exercitu ad Deum suis expugnatam somniat; quam ipsi a Louiniano Imp. traditam fuisse certiora Theodoret, Gennadii, Agathiae & Procopii testimonia clarissime evincunt.

VI. In Iacobo etiam Tentzelio eiusmodi conuersatio eluxit, quā Apostolorum vestigia presso pede sequebatur, & Episcopi *πολιτίζω* a Paulo praescriptam irretortis oculis contemplabatur, omnique opera ad eam se componebat. Pudor filialis prohibet, quo minus in eo laudando amplius progrediar, sed Lectorem potius ad sermones exequiales remittam, in quibus virtutes eius ad vitium depictae cernuntur. Fateor, talia miracula eum non parasse, qualia Iacobo Nisibensi a Theodoro adscribuntur. At praeterquam quod quorundam ex iis fluxa admodum fides est, nihil sane Pontificiis inde accedit, quod nec Lutherus, nec alii Lutheranae Ecclesiae ministri mortuos suscitant, aut similibus miraculosis actionibus splendent, ut Theologi Nostrates pridem edocuerunt, eo praesertim argumento, quod constat, haereticos etiam miraculis fidem sibi facere voluisse, eamque in finem plurima Arianorum miracula recensere Philostorgium, quae Iacobi Nisibeni tempore ab iis fuerint perpetrata; quare ab orthodoxis Doctoribus Iacobo coaetuis miracula nec pro vera Ecclesiae nota nec pro fidei principio habita fuisse ex eorundem scriptis docet Bebelius noster Sae. IV. Parte I. Artic. III. pag. 695. 696. & Parte II. Artic. VIII. pag. 680. qui porro Artic. X. a pag. 957. monstrat, donum miraculorum aliis etiam quarti saeculi hominibus ad conuersionem Ethnicorum facilius procurandam collatum fuisse, cui sane Tentzelius noster destinatus non erat, sed in ea regione degebat, quae ab ethnicorum idolis dudum purgata habetur. Praeterea verum miraculorum usum ipse aliquoties determinat atque defendit in Vindiciis Anti-Frommianis, & quemadmodum hodiernum spiritualia miracula veri verbi pracones operentur, Lutheri verbis exemploque confirmat pag. 687. & 688. Imo precibus maxime apud Deum valuit, eundem saepius exorando, ut mala dioecesi suae impenduntia auerteret, nec dubito, quin apud aequos rerum iudices idem encomium ipsi tribuatur, quod Iaco-

Iacobo Nisibensi adscriptis Theodoretus pag. 765. Ἐπεὶ οὖν ἡ
ἐκείνη τὴν ἰδίαν ἀποκατάστασιν καὶ ἐκείνην ἡμετέραν
καὶ ἀπὸ τῶν ἰδίων ἀποκατάστασιν ἐδείκνυτο, ὡς οὐκ ἔλαμψεν. Hinc
eius in Deum fiducia agebatur indies, & a Deo petens qua
petere oportebat, ea statim obtinebat.

VII. Vitae sanctitatem uterque Iacobus noster puritate
doctrinae anxie. De Nisibensi egregium est Athanasii in pri-
ma adversus Arianos Oratione testimonium, quod commodiori
loco referabo. Is enim non minus ac Athanasius orthodoxa-
am contra Arianos strenue defendit, ac proinde *Sapientis co-
gnomentum* meruit, tradente Gennadio, cuius rationem Bebe-
lius noster Saeculi quarti Parte 1. Artic. 1. num. 202. pag. 266.
ita refert: *Specialius commendatur ab orthodoxis; Nam fuit
inter eos Nicenos patres, qui τὸ ὁμοῶς strenue asseruerunt,
dignus proinde habitus, qui κατ' ἐξοχὴν Sapiens vocaretur.* No-
runt omnes, qui Iacobum Tentzelium norunt, quantopere
is *κατ' ὁμοῶς τῶν ὁμοῶς λόγων* in sermonibus suis ser-
uavit. Non a Pontificiorum tantum superstitionibus & Cal-
vinianorum caterorumque haereticorum fraudibus abhorrebat,
sed novatorum quoque artes toto pectore execrabatur. Neque
dogmata tantum malefana oderat, sed modos etiam loquendi
novos insuetosque fugiebat. Fanaticorum quoque somnia re-
spuebat, hominesque iis deditos ad meliorem frugem reduce-
bat. Memini quum aliquando nonnulla Valentini Weigeli & Pauli
Nagelii, entusiastarum hominum, scripta in Bibliotheca e-
ius conspicerem, atque interrogarem, cur ea rudius consuta
essent, nec ullam compingendi artem referrent? ipsum respon-
disse, quod cuiusdam Parochi Dioecesis suae fuerint, qui nimio
rerum phantasticarum amore captus ea in delitiis habuerit, sed
erroris confictus semina quoque tradere iussus fuerit, ne denuo
in posterum insaniret.

IX. Neuter porro Iacobus satis habebat, zelum pro diviniore
doctrina voce tantum profiteri, sed scriptis etiam eundem orbi
contestati sunt. Equidem de Iacobi Nisibensis libris contro-
versiam mouet Garnerius, citato loco *observans, de doctrina
libris*

librique Iacobi Nisibeni nihil a Theodoro scriptum esse, cum
tamen ad commendationem plurimum faceret: nihil ab Hiero-
nymo, siue in Chronico, siue in Catalogo Scriptorum Ecclesiastico-
rum: nihil pariter ab Hebedlesu, diligente cateroquin libro-
rum Syrorum inquisitore: nihil ab ullo veterum, prater unum
Gennadium, qui viginti quatuor libros recenset. Verum Gen-
nadii auctoritas non videtur mihi tanta, ut omnem scrupulum
euellat. Vnde enim nouis Syriaca opera, qui vix nouit Gre-
ca? Vnde scit ab Hieronymo praterita; propterea quod non-
dum in Grecam linguam versa essent; nec Hieronymus intelli-
geret adhuc Syriacam linguam? An conuersa fuerunt postea,
& in Grecam & in Latinam linguam, ut innotescere possent
Gennadio, non peritissimo, ut videtur, lingue Græcæ? Si con-
uersa sunt in utramque linguam, quomodo perierunt omnino,
cum forent in triplicem quasi orbem sparsa, Latinum, Græcum
& Syrum? Cur nulli Veterum nota; ne Photio quidem, tan-
to Scriptorum veterum, tamque curioso censori? Augetur ex
eo suspicio, quod Gennadius cognomentum Sapientis Iacobi tri-
buat tanquam vulgatum, cuius tamen nemo meminit, nisi qui
Gennadium exscripsit. Vnde crediderim facile, supposita fuisse
Iacobi Nisibeno scripta, quæ Iacobi alterius, ut puta Amideni
Eremitæ clarissimi, forent. Sed in tanta obscuritate cui ad-
haream, nullus scio. Sed non est opus, ut quisquam mouea-
tur Garnerii obiectionibus ad dubitandum de Iacobi Nisibensis
operibus, quæ ab aliis Scriptoribus ipsi tribuuntur. Video,
Garnerium in ea esse opinione, quasi nullus veterum prater
Gennadium scripta Iacobi commemorauerit, ac recentiores a-
liquid de iis tradentes eundem exscripserint. Neutrum autem
veritati consentaneum esse mox docebo. Neque enim testem
aduocabo Nicephorum Callistum, fabulatorem insignem, Li-
bro XV. Histor. Eccles. cap. 22. Iacobum Monachum, qui
Leonis Augusti temporibus vixit & encyclicis eius respondit,
confundentem cum Iacobi Nisibeno, qui Constantii temporibus
vixerat. Sed grauitè hallucinatur, iudice Valesio Notis
in librum primum Historiæ Ecclesiasticæ Theodori Lectoris pag.

162. quod idem prolixius diduxerit Annotationibus ad Evangelii Lib. 2. cap. 9. Potuisset sane Nicephorus errorem suum emendare ex Theodoro illo, cuius Eclogas hodie tantum superstiti- res ipse dictauerat, ut in Praefatione monuit Valesius. Ita enim ibi legimus pag. 552. δεῖ εἶναι ὅτι ἔπος Ἰάκωβος Nisibenus ὁ κτ' τὸ θάυμα τὸ περὶ τὴν πηγὴν καὶ τὰς κόρας ποιήσας, ἐκ- σιν ὁ ἀντγράφας πρὸς τὰ ἐγκύκλια. ἔπος ὁ νισιβινός, ἐν τοῖς κωπτανίς ἢν χερόνις. πλὴν καὶ ἔτ' ὁ δεύτερος Ἰάκωβος μέγας ἢν ὁπὶ θάυμασιν, ὡς φησιν ἐν τῇ Φιλοθέῳ ἱστορία θεοδω- ρίτ'. Andreas Masius par μνημονικὸν ἀμάρτημα commisit Praefatione in Moſen Bar Cepha, quando Scriptores Syros ab eo allegatos recenset, apud Hottingerum in Bibliothecario Quadri- partito pag. 227. Nominat & Iacobum Orrobaïtam, hoc est E- desſenum, qui illius Ephrem, ut Syri affirmant, fuit praeceptor. Nam & Ephrem Edessenus fuit. Rohai enim, vel ut Arabes praeposito Articulo pronunciant, Orrobaia, ciuitas est Mesopota- mia, in ipso limine primo occurrens, simul atq; Euphratem trans- misisti a Berroea, quae nunc Aleppo vocatur, profectus, a qua abest itinere circiter tridui: dicitur vero etiam alio nomine Beth- naharaim, ac si Mesopotamiam dicas, a Syris. Recte quidem Masius Roham dicit Edessam Mesopotamiae urbem esse, pas- simque eo nomine reprehenditur Seldenus, quod in Notis ad Eutyrium pag. 181. scripserit, ubinam haec Rheia, ego me nesci- re fateor. Vapulat enim propterea non Abrahamo tantum Ecchellenſi Notis in capitulum LXXII. Catalogi Ebediesu pag. 32. sed ex ipsis etiam Anglis Ioan. Pearsonio Parte I. Vindiciarum Epistolarum Ignatii cap. X. pag. 172. & Ioan. Gregorio capite XXXIV. Notarum & observationum in loca aliquot S. Scri- pturae, quae rara eruditione refertae Anglico idiomate seorsim pro- dierunt, & ex Latina Richardi Stokes versione Tomo nono Criticorum Sacrorum Londini editorum insertae sunt. Excus- sat autem Seldenus πρὸς ἑαυτὰ Hottingerus in Topographia Ecclesiae Orientalis pag. 9. & Masius etiam a nobis facile veni- am merebitur, quod Orrobaia denominationem ex Arabismo deriuauit, quam mere Syriacam esse docet Pocockius in Appen- dice

dice Notarum ad Specimen Historiæ Arabum pag. 359. *Iacobus Robaviensis seu Robensis ab vrbe* *ⲗⲁⲣⲁ* *Roba denominatus, quam Edessam esse volunt. Hebræi* *עֲדֵסָא* *efferrunt. Syri* *ܐܕܝܫܐ* *unde Iacobus iste Syriace* *ܐܕܝܫܐ* *Urboye. Subscribit Ioan. Gregorius & Iacobum Episcopum Vrboie vocat, additque in*
marginē, eundem citari sæpius in Catena Arabica nomine Iacobi Alrobavi, quod idem est. Elegans quoque est coniectura.
Golii Notis in Alferganum pag. 244. Disputans enim de loco Plinii (qui lib. 5. cap. 24. Callirhœn Mesopotamiæ iuxta Edessam & Charras recenset & a fonte nominatam inquit) his eam
verbis proponit: Plinii verba ad ipsam referri Edessam possunt, ut quæ ob pulcherrimum fontem intra sua mœnia scaturientem meruerit Callirhœi dici: unde per Apheresin factum *ⲗⲁⲣⲁ* *Roba nomen, Arabibus vsitatum, quod duntaxat Edessam designant, esse deriuatum videatur. Nos prudentis Lectoris*
iudicio hæc submittentes ad Masiū redimus, cui pariter condonamus confusionem Iacobi Nisibeni & Edesseni in eo commissā, quando Ephremum, Syriacæ Ecclesiæ splendidissimum lumen, & Iacobi Edesseni discipulum fuisse scripsit, quem e Nisibeni schola produisse docebimus. Inductus enim in hanc sententiam,
Masius est a Syris, præcipuè a Doctore suo, Mose Mardeno, qui veteris historiæ ignarus eiusmodi errores plurimos commisit. Caterum Iacobus ille Robensis siue Edessenus celeberrimi inter
Maronitas nominis est, & quauquam ætatem eius certo non possim determinare, haud leuibus tamen coniecturis ducor, eum & Iacobo Nisibensi & Ephremo recentiorē esse, quod eo magis statuere oportet, si Emanueli a Schelstrate accedimus, qui in
Concil. Antioch. Illustr. pag. 87. tempore Concilii Niceni Ethiopum & Antiocheni Etherium ecclesiæ Edessænæ præfuisse putat, Scripsit autem Iacobus ille Edessenus Hexæmeron ad Constantinum, seu Historiam Creationis & creaturarum Rerum, quod opus hodie in Bibliotheca Lugduno-Batava adseruatur, & ex Oriente eo aduectum est a Iacobo Golio, teste Theoph. Spizelio in Arcanis Bibliothecarum reuelatis pag. 142. Id Hexæ-
meron

meron procul dubio respicit Moses ille Bar Cepha a Masio editus in Commentario de Paradiso: nec aliud scriptum intelligere videntur scriptores Arabes, tam Abul Pharagius in Historia Dynastiæ pag. 4. ubi Gregorii Nysseni & Iacobi Rehenfis sententiam de simultanea rerum omnium creatione refert; quam Anonymus auctor Catenæ Arabicæ a Ioanne Gregorio sapius citata, cuius etiam meminit Iacobus Vsserius Chronol. Sacræ cap. VI. eumque vocat collectorem Catenæ in Pentateuchum Arabicæ, quæ in Bodliana Bibliotheca habetur. Porro Iacobus Edessenus scripsit Annales & Chronicon, ut Syriaca Ebediesu verba cap. CLXXV. interpretatus est Abraham Ecchellenfis, illosq; Annales consuluisse puto Abul Pharagium pag. 11. 33. Alium librum de Baptismo commemorat Hottingerus in Biblioth. Orientali p. 291. **ܬܠܡܕܐ ܕܡܪ ܝܥܩܒ ܕܥܕܝܫܐ**

Scriptum de Baptismo Mor Iacobi, Edesseni. Habetur Msc. in Bibliotheca Tubingensi publica, quem etiam vidi ante biennium. Denique Liturgiam Iacobo Edesseno tribuit Abraham Ecchellenfis Notis in Catalogum Ebediesu cap. XXIX. quem tamen Interpretis solum partes obiisse ex Cornelii Schultingii Bibliotheca Theologica docet Vsserius Prolegom. Ignat. cap. I. In Arabico quoq; Liturgiæ Chaldaicarum sive Syriacarum Catalogo, quæ habuit nuperus Antiochenus Patriarcha Ignatii, recensetur una Clementis Papæ Græce composita; quam Chaldaeam fecit Thomas quidam Harchalanus post CCCCXVII. annos a natiuitate Domini: & altera sancti Ignatii, Græce composita Antiochie, anno XXVII. post ascensionem Domini; quam Chaldaeam fecit Iacobus Episcopus Rehanus. Mirum forte videbitur Lectori, quod in Iacobo Edesseno eiusq; scriptis prolixior sim, quæ tamē a Nisibeno distinctum esse antea monui. Sed duabus imprimis de causis id feci: tum, ne putaret aliquis, Masii & Præceptorum eius Syrorum auctoritatem obiici posse Garnerio, cui sane Iacobus Edessenus si non aliunde, ex Ebediesu saltem minime ignotus erat: tum, ut ostenderem, ex nudo Iacobi ut apud Syros celebris scriptoris nomine cognitu difficile esse, an Nisibenus, an Edessenus,

cui sacra cantica adscribenda sint, quæ Athanasius Kircherus in *Mulurgia* lib. IIX. cap. VII. §. 2. pag. 129. his ornat encomiis: *Et si multa ac varia apud Syros, in libris præcipue diuina officia continentibus, reperiantur carminum genera, tamen ne in illis enumerandis sine necessitate tempus teramus, cum ex iis quæ dicemus facile colligi possint; duo duntaxat eligimus, tanquam omnium nobilissima, frequentissima, maxime necessaria, dignaque de quibus agatur, quibusque potissimum opera detur; Quorum quidem alterum a S. Iacobo, alterum a S. Ephremo, eloquentissimis Doctoribus, ac maximis totius Orientis luminibus sunt constituta, sibi que nomina sunt sortita, prius enim*

ܐܠܥܘܠܐ ܐܠܥܘܠܐ Mschuchto iaakuboitho, id est carmen Iacobiticum; alterum **ܐܠܥܘܠܐ** Ephreimoitho, id est Ephremiticum dicitur. Mox Iacobiticum ait constare ex tribus pausis, ut Syri loquuntur, quarum singule quatuor syllabarum esse debent. In proclui quidem est opinari, carmina illa a Iacobo Nisibensi esse profecta, quoniam Ephremiticis præponuntur, ac verisimile est, Ephremum ut alia præceptoris sui facta, ita & sacrarum cantionum curam imitatum esse. Verum, qui pro Iacobo Sarugensi staret, facile duo ista argumenta posset reiicere, & in contrarium pari, si non maiori numero alia proferre. Etenim uti Syri Mor-Iacobi illius præces orationesque recipiunt & communi usu conseruant, ita hyminorum ab eo compositorum eadem videretur esse ratio: & Sozomenus, Theodoretus atq; Nicephorus Ephremi hymnos ut in Syrorum Ecclesiis receptos concelebantes non omisissent forsitan Iacobi Nisibensis carmina, si quædam ab eo composita fuissent. Quare in re obscura non habeo, ubi pedem figam firmiterque consistam.

IX. Neque tamen propterea sententiam Garnerii amplector, sed alia potius testimonia conquiram, quæ Iacobo Nisibensi disertis verbis scripta nonnulla attribuunt. Memini hanc in rem aliquid obseruasse in Gabrielis Sionitæ ad Bartoldum Nihusium epistola, quæ priori Symmichorum Allatii tomo in-

nexa legitur, sed quia nunc ea ad manus nō sunt, Lectoris, curiositati aliunde satisfaciam. Brianus Waltonus tam in Prolegomenis Bibliorum Polyglottorum Prolegom. XII, n. 15. 19. quam in Dissertatione de Lingvis Orientalibus num. 39. *Iacobum Syrum, qui concilio Nicano interfuit anno 325. versionis Syriacæ meminisse adserit: quod etiam confirmat Abraham Ecchellensis in Notis ad cap. 66. Catalogi Ebediesu: Ante hunc Marabam, aliam quoque antiquiorem ex Septuaginta exstuisse versionem, abunde testantur D. Iacobi Nisibensis & Ephrem Syri commentaria.* Eorundem meminit Waltonus citatis locis, quando Syriacæ linguæ utilitatem hoc etiam argumento inter alia euincit, quod in ea multa sint veterum monumenta, quæ nondum edita sunt, ut magni Ephrem & Iacobi Syri, qui uniuersam Scripturam commentariis Syriacis illustrarunt. Porro Cornelius a Lapide Prolegomenis Commentariorum in Ecclesiasticum cap. III. scribit: *In monte Libano Syriacæ exstant Commentarii manuscripti S. Ephremi (atque similes Magni illius Iacobi Nisibis Episcopi, qui interfuit Concilio Nicano) in uniuersam S. Scripturam, uti Romæ a Maronitis accepi, quæ unam quispian in Latinum conuerteret & ederet.* Ad stipulatur Hottingerus Biblioth. Orient. pag. 285. *Iacobus, Nisibena Persarum ciuitatis Episcopus, Syrus scriptor, Commentaria quoque dedit in uniuersa Biblia.* Eandem sententiam sagacissimo hodie Critico, Richardo Simonio, pariter placere, ex Lib. III. Historiæ Criticæ veteris Testamenti cap. XXIV. colligere est, quo Waltoni de Syriacis versionibus Prolegomenon sub censuram reuocans nihil eorum, quæ de Iacobo Nisibensi dixerat, reprehendit; quæ si falsa esse putasset, procul dubio dissensum suum professus esset, quemadmodum de Liturgia Seueri Alexandrini eodem loco fecit. Eo magis miror, Garnerium illorum, quæ apud Ecchellensem de Iacobo nostro legerat, non recordatum esse, quum is in notis ad Ebediesu Catalogum duo præterea illius Episcopi scripta commemoret. Primum est *Liturgia S. Iacobi Nisibensis*, quam inter quinquaginta Orientalium Liturgiæ p. 47. Notarum in capitulum 29. Ebediesu recenset, subscriptibus

bps

bus Athanasio Kirchero Parte I. Chinæ illustrata cap. V. pag. 39. & Cardinale Bona Lib. I. Rerum Liturg. cap. IX. n. 9. nec non e Reformatis acerrimo alias Ecchellenfis aduersario, Hottingero, Bibliothecat. Quadripart. pag. 238. Alterum Opus, quod Iacobus Abrahamus tribuit, Concilii Nicæni Canones complectitur. Quum enim Ebediesu cap. LXV. Marutam Episcopum Mipharechet adserat transtulisse Canones Patrum trecentorum octodecim, & conscripsisse totam historiam illius sanctæ Synodi: hæc habet in Notis Ecchellenfis pag. 81. *Is, post D. Iacobum Nisibensem, qui eidem Concilio interfuit, suam Syris nouam tradidit Canonum & Constitutionum versionem una cum Actis & Historia; quæ omnia hætenus Syris, Arabibus, aliisque nationibus orientalibus integra exstant; ut alias in Prefatione eiusdem Concilii & Epitome diximus.* Pertinente hæc ad famosam de Canonibus Nicænæ Synodi Arabicis controuersiam, quam in gratiam Lectoris breuiter delibabo. Aeris superiori sæculo inter eruditos viguit disceptatio, an viginti tantum Canones illud Concilium sanxerit, quot in Græcis codicibus exstant, parique numero a præstantioribus veteris Ecclesiæ doctoribus recensentur, an plures, quod vult supposititius Athanasius in Epistola ad Marcum Papam: cui qui adstipulabantur, summis votis exoptabant, ut prodiret tandem codex plures Canones continens. Dignum patella operculum Alexandriæ inuenit Ioannes Baptista Romanus Iesuita, atque ex Arabico libro octoginta Canones Latine reddidit, augustæque Synodo Nicænæ adscripsit. Tum illi homines sibi inuicem gratulari, & ceteri quisquiliarum eiusmodi admiratores, Alphonsus Pisanus ac Franciscus Turrianus, patrocinium peregrini factus suscipere, Cardinalis etiam Bellarminus controuersias dogmaticas inde determinare, & Cardinalis Brancatus in epitomen Canonum omnium eos transferre nihil erubuerunt, ut alios minoris dignitatis ac peritiæ iis accedentes præteream. Sed prudentiores inter Pontificios facile animaduenerunt, nihil solidi Arabicis istis canonibus subesse, quare Cardinalis Baronius ut *mera somnia* eos traduxit, quos tamen sapiusculæ veritatis obli-

oblitus in testimonium vocavit, ac proinde hoc etiam nomine inconstantia arguitur a Calaubono in Prolegomenis Exercitationum. Maiori confidentia fabulas istas reiecerunt Antonius Augustinus in Dialogis de Emendatione Gratiani, Hugo Menardus in Notis ad Sacramentarium Gregorii, alique in Critica Ecclesiastica versatissimi viri. Quamobrem Abraham Ecchellensis nouam Latinam versionem, priori longe ampliorem, dedit, eosdemque Canones peculiari Dissertatione defendere aggressus est, quam Philippus Labbeus Tomo II. Conciliorum inseruit. Nihil autem effecit bonus ille Ecchellensis, quam ut fraus commissa apertius patefceret, eamque eruditi multo acrius impugnarent, & omnes Canones citra ullam dubitationem supposititios iudicarent, quod non solum apud Gallicanae Ecclesiae Theologos, Ludouicum Bailium in Summa Conciliorum, Ioan. Launoium To. III. Epistola XI. Natalem Alexandrum Histor. Eccles. Saeculi IV. Dissertatione XIX, & Philippum Priorium Dissert. de Literis Canonicis num. 23. videre est, sed apud alios quoque iurium papalium strictiores observatores, Aubertum Miræum in Notitia Episcopatum, Christifanum Lupum Parte I. Conciliorum pag. 570. & Schelstratium P. II. Antiq. Illustr. Dissert. II. cap. IV. Nec multum fidei Turriani & Ecchellensis versionibustribuendum esse Hottingerus admonuit in Bibliothecario Quadripart. pag. 327. 328. Claudii autem Capellani verba non possum omittere, in fine libelli, quem *Mare Rabbinicum infidum* inscripsit. Excusans enim, quod Arabica typis saltem ligneis in eo expresserit, notanter addit: *A duobus aut tribus annis institueramus nonnulla e priscis Ecclesiae Conciliis Arabica edere, Nicanos praesertim Canones, qui magna illi Conciliorum Bibliotheca, quae adhuc sub prelo est, Latina inseruntur, unde Turriani & Abrahami Ecchellensis versionum fides expendi potuisset: sed eadem typorum difficultas consilium nostrum fecit irritum.* Porro observatu dignum est, apud omnes Orientis Christianos, exceptis Graecis, Canones illos octoginta quatuor Concilio Nicæno adfingi. Habetur enim præter Syros & Arabes apud Coptitas,
ut te-

vt testantur Codices MSti ex Ægypto adlati, cuiusmodi est ille, quem ad Salmasium misit Peirescius, teste Gassendo in vita eius Lib. V. pag. 438. & apud Æthiopes, de quibus videripotest Iobus Ludolfus Lib. III. Histor. Æthiop. c. 4. n. 30. 31. & apud Armenos, quod non solum ex epistola Gregorii decimi ad Regem Armeniorum, sed ex Codice etiam *Armenica lingua scripto* penes Cardinalem Sirletum probant Corretores Gratiani Distinct. XVI. c. XII. pag. 46. Quæ res vnde originem trahat, ex Abnalcassabo, Ægyptio in Canones Conciliorum commentatore operæ pretium est cognoscere. Verba illius Arabicæ & Latine sistit nobis Guilielmus Beueregius Annotat. in Synodicon pag. 212. Nos ea Latina versione contenti erimus, quam exhibet Schellstratius num. 168. Etenim Abnalcassabus Canonum Nicænorum duas facit partes, quarum prior Canones viginti (apud Græcos etiam & Latinos notissimos) complectitur, posterior complures, de quibus ita scribit: *Alicuius vero (pars) multiplicis utilitatis est, cuius versionem procurarunt Melchita & Nestoriani, & ita habetur apud Iacobitas Syros, & illius Canonum numerus in Melchitarum editionibus est 84. quos complures subsequuntur etiam constitutiones. In editione, quæ est in Melchitarum manu, sunt additamenta quedam ad eos pertinentia.* Sunt quoque inter Arabicos Scriptores, qui diserte consentiunt, a Syris Ecclesiam suam Canones illos accepisse: quod si verum est, Æthiopum quoque editionem ex eodem fonte provenisse oportet, quum eos vt religionem, ita & disciplinam ab Alexandrinis Patriarchis accepisse certum sit. Armenios vero satis aliunde constat Iacobitarum erroribus strictissime adherere; quare nihil dubitandum est, quin ab iisdem Nicænorum Canonum augmentum nacti sint. De cætero Abraham Ecchellenus apud Schellstratium num. 168. putat, Syriacam editionem antiquissimam esse, quandoquidem Ioannes Maro, qui sæculo 6. & 7. vergente scribebat, in libro de Sacerdotio integrum citat ex ea canonem 44. ex quo quidam existimant, illam auctorem habuisse D. Iacobum Nisibensem Episcopum, qui eidem interfuit concilio. Sed improbat hanc opinio-

pinionem Schellstratius num. 169. *Displicet tamen quod Abrahamus Ecchellenfis existimet, hos canones auctorem habuisse Iacobum Nisibensem in Mesopotamia Episcopum a catalogo subscriptionum Nicanis Concilii exhibitum. Enimvero unum ex sanctis Nicanis Patribus acta Synodi vel potius canones collegisse, qui aduersantur menti ipsius Concilii, nemo peritorum admittet.* Nimirum Canones illos Arabicos continere non pauca statutis Synodi Nicænæ contraria post Bailium ac Beueregium antea citatos pluribus edocuerat Schellstratius num. 167. nec minus adfert præiudicium, quod nec exempla MSta inter se, nec cum Latinis versionibus conueniunt, quemadmodum videre est apud Seldenum lib. III. de Synedriis cap. IV. num. 9. & plura nos expectare iubet magnus Ludolfus: *Capita Æthioporum habeo, ex quibus video eosdem cum Arabicis esse. De textu vero ipso, an conueniat in omnibus? an & in quibus discrepet, nihil certi definire possum.* Codices enim plurimum variare, vel ex iis liquet, quæ Fr. Turrianus & Abraham Ecchellenfis edidere; de quibus in commentario nostro plura. Originem huius differentię ad dissidia Melchitarum, Maronitarum & Iacobitarum erudite refert personatus *Sieur de Moni* in libello suo, quem *Histoire Critique de la Creance & des Coutumes de Nations du Levant* inscripsit cap. IV. & a qualibet illarum sectarum Canones ad suas hypothesen conformatas censet: *Le grande autorité du Concile de Nicée a esté la cause pourquoy on a inventé ces Canons Arabes, que chaque Secte a accommodés à ses sentimens. Les Melchites trouvent dans ces Canons attribüés au Concile de Nicée, de quoy se defendre contre les Iacobites: & les Iacobites d'autre part, defendent par ces mesmes Canons leur opinion touchant l'unité de nature en nôtre Seigneur. Les uns & les autres font parler le Concile de Nicée à leur maniere. Les Iacobites accusent les Melchites d'avoir corrompu ces Canons. Les Maronites, qui estoient dans les commencemens de la Secte des Iacobites, leur sont aussi le mesme reproche.* Quando autem augmentum illud Canonibus Nicanis adiectum sit, non facile determinari posse arbitrat

Beuere-

Beueregius, & Petri de Marca opinionem in medio relinquit, quam is Libro II. de Concordia Sacerdotii & Imperii cap. II. num. 2. de Patriarcha Iustinianopolitano agens proposuerat: *In collectione Arabica* {can. 37.} *ordinatio huius Metropolitanis tribuitur Antiocheno Patriarchæ: que innotatio accidit post Leonis Philosophi ætatem, id est, post annum 900. Unde collectionis illius Arabice tempus colligere licet.* Non multum ab hoc iudicio distat Pearsonius Parte I. Vindictiarum Ignatii cap. X. p. 187. quando de statu Æthiopice Ecclesiæ contra Dallæum disputat, qualis sub Theophilo Imperatore exstitit, qui nono vixit sæculo, & Ludouico Pio cœuus fuit: *Post hæc tempora, ut opinor, conditi sunt Canones Arabici Concilii Nicani, quod edidit Turrianus, quique ad posteriorem Ecclesiæ statum & consuetudines diu post Concilium Nicenum natas temperati sunt.* Quibus subiicit explicatque Canonem 36. ex quo tamen Ludolfus lib. III. Histor. Æthiop. cap. II. num. 41. elici putat certissimum documentum, *Æthiopes nostros tempore illius concilii (Nici) Christianos fuisse, & Præsulem Christianum scilicet Metropolitanam habuisse.* Mediam sententiam tenet Schelstrati- us num. 169. facile sibi persuadens, plerosque Arabicos canones ex actis Nicani Concilii circa seculum sextum fuisse collectos, & vel tunc vel postea falsis canonibus & statutis maculatos.

X. Ne autem Lectores amplius in re obscura detineant, aut Iacobi Nisibensis scripta ex recentioribus tantum hominibus confirmare videar, clarissimum firmissimumque Athanasii locum in medium proferam, qui in prima eius aduersus Arianos Oratione secundum hodiernam distinctionem reperitur. Nam apud antiquos alium harum Orationum ordinem fuisse Dionysius Petavius passim in Dogmatum Theologicorum Tomis commonuit, præcipue lib. V. de Incarnatione cap. XV. num. 9. ubi obseruat, antiquos scriptores Athanasii orationes illas librum appellare de Trinitate, ut Cyrillus in epistola ad Monachos. Tum ex quinque, ut nunc inscribuntur, quatuor solas recensere, prima detracta, quæ non est eiusdem cume sequentibus argumenti. Nam in istis aduersus Arianam hæ-

resin disputat, eamque rationibus & Scripturae testimoniis re-
fellit; & quibus argumentis nitebatur, ea dissolvit. Prima
autem nihil horum facit: & est encyclica contra Arianos epi-
stola; qui illi titulus Græce præsigitur. Ideo quæ secundavul-
go numeratur, is πρῶτος λόγος ab Græcis plerisque dicitur: quem
primum librum satius sit Latine vertendo nominare; non ut so-
lent Orationem. Est enim λόγος non solum Oratio, sed etiam
liber. In illa itaque encyclica epistola To. I. editionis secun-
dæ Parisiensis pag. 291. improbans scripta eorum, qui Arianam
spargebant impietatem, notanter scribit: Εἰ μὲν ἐν τῷ ἐρ-
σοδόξῳ ἦν γεγραμμένα, διὰ ἐχθρόναι τῷ τῷ μεγάλῳ καὶ ὁ-
μολογῶν ὅτι Μαξιμίου τῷ τῷ Γαλιᾶς ἢ τῷ Διαδοξάμειν
τῷ τῷ, ἢ τῷ Διολογονίῳ καὶ Εὐσταθίῳ τῷ τῷ αἰατολῆς ἢ Ἰγ-
λίου καὶ Λιβερίου τῷ τῷ Ἐπισκόπων Γαλιᾶς, & post multa aliorum
nomina pari ratione enarrata: ἢ Ἰακώβῳ καὶ τῶν σὺν αὐτῷ,
τῶν δὲ τῷ μέσης τῶν ποταμῶν, ἢ τῷ ἡμετέρῳ μακαρίῳ τῷ
Ἀλεξανδρῳ, καὶ τῶν ὁμοδόξων αὐτοῖς, εἶδεν ἦν ἐν τοῖς γεγρα-
μμένοις ὑποπτεύειν. ἀδολγὸν γὰρ καὶ ἀπλὸς δεῖν ὁ τῶν Ἀπο-
στολικῶν ἀδελφῶν τρόπος. Si igitur scripta ista ab orthodoxis
proficerentur, qualia sunt magni illius & confessoris Hosii,
Maximini Gallie, aut eius successoris, aut Philogonii & Eusta-
thii Orientis Episcoporum, aut Iulii & Liberii Romanorum E-
piscoporum &c. vel Iacobi & reliquorum Mesopotamiae Prasul-
um, aut nostri beati Alexandri, ceterorumque qui cum eo sunt
eiusdem sententiae, nihil esset quod in his scriptis suspicari-
re: sincera enim & simplicia Apostolicorum virorum ingenia sunt.
Vides, Athanasium scriptores plurimos Orthodoxos recensere,
quorum alii fuerunt Patriarchæ, Iulius & Liberius Romæ, Phi-
logonius & Eustathius Antiochiæ, Alexander Alexandria, quem
ut suum antecessorem nostrum nuncupat: alii Metropolitæ,
alii Episcopi: quibus annumerare convenit Iacobum illum in
Mesopotamia præsulem. Porro notatu dignum est, omnes ibi
enumeratos Antistites Athanasii tempore vixisse, & partim paul-
lo ante Concilium Nicænum obiisse, ut Philogonium Antioche-
num, parum illi interfuisse, ut Eustathium Antiochenum, Alex-
andrum

andrum Alexandrinum, Macarium Hierosolymitanum &c. par-
tim paullo post cathedram sacram occupasse, ut Iulium & Libe-
rium Episcopos Romanos. Quum autem Iacobus noster Ni-
sibensis eodetempore Mesopotamiae fuerit Episcopus, & in Concilio
etiam Niceno adfuerit, nec Athanasio ignotus esse potuerit,
quem quæso, nisi eundem ab eo intelligi dicemus? Quamoba-
rem miror, præclarum hoc Athanasii testimonium a Garnerio
non fuisse obseruatum, cuius euoluendi occasionem a Celeber-
rimo Bebelio pag. 266. suppeditatam libenter profiteor.

XI. Ne autem Garnerii suspiciones scrupulum in aliorum
animis relinquant, breuiter eas examinare animus est. Primo
triplex argumentum negativum proponit, initio statim memo-
ria lapsus. Quis enim negauerit Theodoretum doctrinam Iaco-
bi Nisibensis tradidisse, qui in elogio eius pag. 770: Historia Re-
ligiosa epiphonema miraculo de Arii morte subiectum vel li-
mis oculis adspexerit? ἀπόχρη δὲ τὸ τοῦ μόνου τῶν τῆς Ἀρείου δυσ-
σεβείας κληρονομοῦν διελέγχει τὴν ἀνοιαν. ὁ γὰρ τοσούτῃ ἀ-
νῆρ, τῶν μὲν ὑφ' ἡμῶν πεσσευομένων δογμάτων κήρυξ ἦν καὶ
συνήγορος. Ἔτω δὲ κομιδῇ τὴν τῶν αἰσεβειῶν ἐρδελύττειτο, ὅτι
καὶ τὸν αὐτῆς πατέρος κατηκόνισεν, ὅπως γλώτῃ χρησάμενος.
Atque hoc unum profecto suffecerit ad Arianae impietatis reuiu-
cendam insaniam, quod hic tantus vir dogmatum, quæ a nobis ce-
lebrantur, præco fuerit & defensor, istorum autem impietatem
sic detestatus sit, ut eius parentem linguæ suæ mucrone confode-
rit. Quis non videt, a Theodoro laudari orthodoxam Iaco-
bi Nisibeni doctrinam, quam ab Athanasio ex scriptis quoque
eius commendatam antea audiuius? Licet vero ea diserte non
commemorauerit Theodoretus, Athanasii tamen testimonium
sufficit, ex quo conicere est, Theodoretum κήρυξ & συνήγο-
ρος Nicænæ fidei elogium Nisibensi tribuentem, non ore tantum
sed scriptis quoque factam defensionem intelligere, adeoque ad
libros a Iacobo nostro exaratos digitum intendere. Præterea
Theodoro in Historia Religiosa propositum est non tam scri-
pta quam facta potius ascetarum extollere, quod in Iacobo etiam
Nisibeno eum attendisse argumento sunt duo loca Historia Ec-
clesi-

clastica, quibus Iacobum in Philotheo se laudasse testatus non aliunde quam a miraculis commendationes desumptas in-
nuit. Hieronymus autem cur libros Nisibeni non commemo-
rauerit, his verbis in editione Miræi indicare conatur Genna-
dus: *Hunc virum B. Hieronymus in libro ΧΕΓΟΙΚΩΝ, velut ma-
gnarum virtutum hominem nominans, in Catalogo Scriptorum
illustrum cur non posuerit, facile excusabitur, si consideremus,
quod ipsos tres vel quatuor Syros, quos posuit, & interpretatos
in Græcum se legisse testetur. Unde constat eum illo tempore
ignorasse Syram linguam vel literas, & ideo hunc, qui necdum
versus est in aliam linguam, nescisse scriptorem.* Quærit Garne-
rius, vnde sciuerit Gennadius, Hieronymum tunc (cum Catalo-
gum scriberet) nondum calluisse linguam Syriacam? Non est
exigui momenti hæc exceptio, quam ut melius intelligamus, in-
quirendum est, quo tempore Catalogum virorum illustrum,
Hieronymus scripserit. Id vero ipse indicat initio & fine libri,
quando *Theodosii Principis decimum quartum annum* nominat,
qui cum anno Christi 392. coincidit, consentientibus hodie eru-
ditis, inter quos nouissime Antonius Pagi Prolegom. Dissertati-
onis Hypaticæ num. XXXV. volumen istud ab Hieronymo ini-
tio anni 393. Theodosii Magni Quinquennalibus nobilitati,
publicatum esse eleganter ostendit. Quem vero ætatis suæ an-
num egerit Hieronymus, facile colligimus ex vita eius, quam
nuper tomo Analektorum quinto edidit Mabillonius, & ab i-
pso Gennadio scriptam arbitratur; vbi pag. 193. hæc legimus:
*Dormiuit autem beatus Hieronymus anno imperii THEODOSII
Iunioris XII. Omnes autem annivita eius sic colliguntur: Ordina-
tus est Romæ Presbyter XXVIII. annis, tribus vixit apud Beth-
leem, in proposito suo annis quinquaginta & mensibus sex. Omne
vita sua tempus implevit annis LXXXVIII. & mensibus sex.*
Character ille obitus Hieronymiani in A. C. 420. incidit, quo
decessisse Hieronymum communis nunc doctiorum opinio est.
Vid. Henr. Norisius lib. I. Historiæ Pelagianæ cap. XIX. & Phi-
lippus Labbeus To. I. Dissert. de Script. Eccles. pag. 434. qui di-
em quoque 30. Septembris adiicit. Collatis inter se calculis de-
prehen-

prehendimus, Hieronymum natum anno 331. ac proinde eo, quo Catalogum scribebat tempore, sexaginta annorum senem fuisse. At Syram linguam tunc ignorasse Hieronymum, quando inter homines idiomate isto loquentes Bethlehemi versabatur, cui videbitur verisimile? præterea Hieronymus ipse præfatione in Daniele testatur, se adolescentulum Chaldaicæ linguæ (quo nomine Syriacæ etiam comprehendit) operam dedisse. Quis igitur non videt, graviter alucinatum esse Gennadium, qui Hieronymum illo tempore, quo is Catalogum concinnavit, ignorasse Syram linguam putavit? Alia itaque ratione ad obiectum Hieronymi silentium respondere par est, quam in Præfatione Catalogi ipse suppeditat: *Si qui autem de his, qui usque hodie scripserunt, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi imputare debebunt. Neque enim celantes scripta sua de his, que non legi, nosse potui: Et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendio suspirabunt.* At claruit etiam scriptis suis Iacobus Nisibenus, Athanasio teste, aliisque ea satis nota fuerunt, quanquam Hieronymo in Bethlehemitico angulo degenti ignota. Certe nimis audaciæ reus esset, qui ex scriptorum albo expungeret eos omnes, quos ex episcopis ab Athanasio ob orthodoxa scripta ibi commendatis præteriit Hieronymus: siquidem non nisi duos illorum, Eustathium Antiochenum, Ancyranumque Basilium in Catalogo suo recensuit, cæteris viginti quatuor alto silentio pressis. Quare non est, ut quisquam ea de causa Iacobum Nisibensem nihil scripsisse putet, quod Hieronymus eum prætermiserit, multo minus autem, quod Hebediesu tacuerit. Hic enim superiori demum sæculo vixit, nec tantam diligentiam adhibuit, quantam ipsi Garnerius adscribit: nam Nestorianos præcipue scriptores recensere sibi proposuit, Eutyrianos autem, Iacobitas ac Melchitas tantum non præteriit. Hinc nulla apud eum mentio Severi, notissimi illius Eutyriani, nulla Mosis Bar-Cephæ aut similium Iacobitarum. Miratur Hottingerus in Bibliothecario Quadripag. 229. in Bethgaza multos citari auctores, Balaïum, Cocojum,

ium, &c. quorum Ebediesu non meminit. Nullum igitur impedimentum adferre potest nouiti & negligentis suæque sociæ seruientis hominis silentium.

XII. Progrediemur ad argumenta, quibus Gennadii auctoritatem eleuare studet Garnerius. Antea autem scripta Iacobi nostri ex Gennadio proferemus: *Comprehendit autem omne opus suum in viginti sex libris: De fide; Contra omnes hæreses; De caritate generali; De vita post mortem; De humilitate; De patientia; De pœnitentia; De satisfactione; De virginitate; De sensu animæ; De circumcissione; De acino benedicto. pro quo in Esaia legitur, Non est exterminandus borru; De Christo, quod filius Dei sit, & consubstantialis Patri; De castitate; Adversus gentes; De constructione Tabernaculi; De gentium conversione; De regno Persarum; De Persecutione Christianorum; Composuit & Chronicon minoris quidem, quam Græcorum curiositas, sed maioris fiduciæ: quia diuinarum Scripturarum tanta auctoritate conscriptum comprimit ora eorum qui presumptuosa suspitione de aduentu Christi vel Domini nostri inaniter philosophantur.* Vides, multa his contineri, quæ vel Iacobi Nisibeni institutum asceticum sapiunt, vt. de virginitate; De castitate; De sensu animæ; De humilitate &c. vel hominû illorum conditionem, cum quibus ipsi colluctandum fuit, exprimunt, vt de gentium conversione; De regno Persarum; De persecutione Christianorum &c. vel a Theodoro *συνηγορον* fidei Nicenæ Iacobum vocante respici potuerunt, vt de fide; contra omnes hæreses; & præcipue de Christo, quod filius Dei sit, & consubstantialis Patri: Denique nullum Iacobo scriptum attribui a Gennadio, cui Athanasii elogium denegari queat. Quid ergo moras tricasque nescit Garnerius? Friuolum enim est satisque Athanasii auctoritate retunditur, quod ait, a nullo veterum præter vnum Gennadium Iacobi scripta recenseri. Nec vilius ponderis est, quod dubitat, vnde Gennadius sciuerit Syriacæ opera, qui vix nouerit Græcæ, nec peritissimus linguæ Græcæ fuerit. Eni numero, vt a posteriori incipiam, recordari debuisset Garnerius eorum, quæ paullo ante ipse dixerat, pag. 179.

Quo

Quo tempore scribebat Gennadius, Massilia, ubi erat Presbyter, Græcæ lingua notior fuit, quam in illa alia Occidentis parte; non solum propter urbis natales a Græcis, ut fertur, conditæ, sed etiam ob Cassiani famam illuc ex Oriente appulsi; ad quem S. Cælestinus literas Nestorii vertendas & refellendas misit. Quis igitur Gennadio denegabit tantam linguæ Græcæ cognitionem, quanta satis erat ad colloquendum cum suis Massiliensibus, & legenda Græcorum Patrum scripta? inprimis quando ipsi Garnerio legisse videtur Græce Opera Theodoretæ, quæ memorat; nec fraudi potest esse Gennadio, quod non satis cognita habuerit. Græca opera: culpa enim quoad aliorum Græcorum scripta non magis cader in Gennadium, quam circa Theodoretæ libros haud accurate pleneque ab eo commemoratos, de quibus rursus absolutionis sententiam profert Garnerius: eo tempore (an. Ch. 494. quo Gennadius scribebat) pauca admodum eaque non purissima Theodoretæ Opera nota erant in Occidente, alioquin non latuissent tam curiosum librorum indagatorem. Ut vero cognosceret, quos libros scripserit Iacobus Nisibenus, non necesse omnino habuit linguæ Syriacæ notitia (quæ tamē ipsi haud denego) sed adiutus videtur monumētis in Massiliensi cœnobio adseruatis. Credibile enim est, Cassianum, qui monasterium illud exstruxit, vitæq; asceticæ deditissimus præclaros eremitas summe laudauit, & Syriæ Ægyptique monasteria peragrauit, in illa sua peregrinatione curiose celebriorum ascetarum res gestas scriptaque adnotasse, & secum in Massiliam deportasse: ex quibus postea Cassiani tabulis Syrorum Ægyptiorumque auctorum, quos laudat, notitiam Gennadius habuisse videtur. Vt cunque sit, falso tamen supponit Garnerius, scripta Iacobi Nisibensis in Græcam & Latinam linguam conuerti debuisse post Hieronymum, ut innotescerent Gennadio: id enim ne sua quidem ætate factum esse, diserte fatetur Gennadius, quando ait, qui necdum versus est in aliam linguam. Quare frustranea sunt, quæcunque exinde Garnerius elicit de scriptis Iacobi in triplicem orbem sparsis, & a Photio legendis. Ea enim apud Syros hodiernum ignota non esse, quæ num, IX. disputauimus, euincunt; quum autem.

nusquam sine in Græcum siue Latinum idiomata conuersa dicantur, Photius autem libros Syriaca tantum lingua exstantes non legerit, satis patet, Garnerium scrupulosissos sine vilo fundamento obiicere: qui cum nosset apud Theodoretum & Theodorum Lectorem *μεγάλη* siue *magni* encomio ornari Jacobum, immerito tricatur de *sapientis* cognomento a Gennadio ipsi tanquam vulgari tributo: siquidem hoc ab illo non tollitur, sed includitur potius ac præsupponitur. Denique Iacobus Amidenus Eremita, cuius scripta Nisibeno supposita hæriolatur Garnerius, & e Mesopotamia oriundus fuit, & indubie eodem, quo nosser, idiomate scripsit, adeoque pari suspicionum libertate de operibus eius dubitari posset, qua Garnerius Nisibensem scriptorum numero expungere ausus est.

XIII. Quo longius autem Jacobi Nisibeni scripta nos detinuerunt, eo breuius de Jacobi Tenzelii monumentis agere licet, quando ea & tantis difficultatibus non sunt exposita, & in plurimorum manibus versantur. Ac nihil quidem commemorare attinet argumenta Disputationum Academicarum, quarum numerum ab ipso supra descriptum meminimus, quum ea maximam partem Philosophica sint: nisi quod duas de Causa Morali exercitationes minime præterire licet, vtraque enim magni ab eruditis æstimari solet, nec aduersariis caruit, sed hinc inde impugnata est, veritate semper salua manente. Nec Disquisitiones Theologicas proferam, quas in Synodis Pastorum publice exposuit ventilandas: sed de maioribus tantummodo scriptis nonnulla enarrabo. Etenim ex nostrorum temporum historia non ignotum est Rintelense cum Calvinianis colloquium, quod ab Orthodoxis omnibus improbatum & a nostræ Academicæ Theologis peculiari opere impugnatum est. Quibus cum se opponerent Rintelenses, Iacobus Tenzelius nostrorum Theologorum defensionem suscepit, edito cum eorundem consensu Germanico libro de Pace Ecclesiastica. Hunc acrius aggressus Henricus Martinus Becardus, Rintelensis Theologus, nouam Tenzelio Apologiam expressit. Post paucos annos Andreas Frommii, homo in his terris non ignotus, præcipuum Præsu-

lis

lis officium Sondershusæ in Comitatu Schwartzburgico prela-
uit, sed non obtinuit, paulloque post ad Papismum impie de-
fecit, neque se suosque seduxisse satis habuit, sed alios etiam ad A-
postasiam edito libello Germanico persuadere studuit. Qua-
re Tentzelius diuino zelo afflatus refutationem illius tanto suc-
cessu perfecit, edito scripto vernaculo, quod *Gründliche Re-
sultatz der Lutherischen Kirchen* inscripsit & Wittenbergæ an. 1671.
imprimi curauit, vt & Nostratum expectationi satisfecerit, &
alter, quod reponeret, non inueniens ad turpe silentium da-
mnatus fuerit. Pares itaque Iacobi nostri in eo fuerunt, quod
schismata & hæreses peculiaribus scriptis refutarunt; & sicut
Iacobus Nisibenus in Scripturam commentatus est, ita Tentze-
lius textus diebus solennis pœnitentiæ destinatos ab aliquot an-
nis illustrare cœpit. Ille Liturgiam scripsisse perhibetur, quæ
nihil aliud infert ex priscorum usu, quam sacra publica, quibus
preces & cantica fundebantur, atque Eucharistiæ Sacramentum
distribuebatur: Hic pariter nouam splendidamque libri ritualis,
quem *Agenda Schwartzburgica* vocant, promouit, & sacros hy-
mnos in Ecclesia Arnstadiensi receptos peculiarique volumine
comprehensos ad octingentorum numerum auxit.

XIV. Tantis virtutibus meritisque conspicuos viros non
mirum est ad magni momenti negotia ecclesiastica adhibitos ef-
se. Ita enim de Nisibensi Iacobo memoriæ proditum accepi-
mus, quod Concilio Nicæno interfuerit, & a Constantino Magno
cum aliis Episcopis euocatus, vti liquet ex subscriptionibus, A-
rabicis præsertim, ex Iosepho Ægyptio a Ioan. Seldeno Com-
mentario in Eutychii Origines pag. 102. descriptis; nam qui lo-
co CXLV. ponitur & a Seldeno integre non est latino reddi-
tus sermone, est *إسماعيل بن يعقوب* *Iacobus Nisibenus*, iudice Io-
an. Andr. Bosio Exercit. in Periecham Iosephi cap. II. n. 36.
quanquam Nomen gentile aliter formari ab illa vrbe velit Go-
lius in Alferganum pag. 239. *نيسيبيني* *Nisibenus*, aut *نيسيبى*
Nisibus teste Iacuto. Imo incerta res est in omnibus illis scrip-
tionibus, vti pridem nostrarum partium eruditi animaduerte-
runt, atque ex sagacioribus Pontificis fatetur Ioan. Launojus a-

puđ Bebeſium noſtrum Sæc: IV. Antiq. Eccleſ. Artic. 1. pag. 67.
Quare certioribus Theodoreti testimoniis res confirmanda eſt.
Is enim in Historia Religioſa pag. 768. 769. 770. prolixè deſcri-
bit res a Iacobo geſtas in Concilio Nicæno ac licet in eo et-
ret, quod Arium in iſta Synodo precibus Iacobi interfectum ve-
lit, vt ſupra diximus, ſufficit tamen, quod Iacobum Concilii
Nicæni patribus adnumerat, idque vt indubitatum repetit lib.
I. Hiſtor. Eccleſ. cap. VII. vbi ad hunc locum Hiſtoriæ Religio-
ſæ Lectores remittit. Gennadius quoque adſerit Iacobum fu-
iſſe ex numero eorum, qui in Nicæna Synodo Arianorum peruer-
ſitatem quosdā oppoſitione damnarunt. Caterum in iſto Con-
cilio magnam apud Conſtantinum gratiam promeritus eſt Ia-
cobus noſter, ſi Binnio in Notis ad Concilium Antiochenum,
& Franciſco Longo a Coriolano in Summa Conciliorum pag.
86. credimus, quorum hæc ſunt verba: *Conſtantine Magnus*
admirabili ſanctitate huius Episcopi in Nicæno Concilio cogni-
ta, Conſtantio filio hoc in mandatis dedit, vt hunc Episcopum
non tantum viuentem coleret & obſervaret, ſed eius quoque
cadaver honore proſequeretur; ac proinde non abborreret a
fide, quam ſciebat ab eodem ſancto Episcopo prædicari. Erro-
rem autem Binnii ac ſequacium reprehendit Schelſtratus in Vin-
diciis Concilii Antiocheni Diſſert. II. Cap. IV. pag. 84. quod
nolint Iacobum Niſibenſem referre inter membra illius Conci-
lii Antiocheni, ſed nomen eius ab Arianis Catalogo inſertum
eſſe contendunt. Synodus hæc conuocata eſt ab Imperatore
Conſtantio An. CCCXLI. ad dedicationem Dominici aurei, quod
Baſilica ſplendidiffima erat Antiochiæ extructa, ſplendidiffi-
mo apparatu, vti moris erat, celebrandam, quod multis proba-
vit Schelſtratus Diſſertatione I. cap. IV. adſtipulante Antonio
Pagi Diſſertationis Hypaticæ P. II. cap. III. num. XIII. pag. 119.
eaque occasione factum eſt, ut de rebus etiam fidei ac diſcipli-
næ Episcopi inter ſe tractarint. Baronius ac plerique hætenus
papatui addiſti concilium illud tanquam hæreticum & Arianum
reiecerunt: quibus obuiam iuit Schelſtratus, & pro orthodo-
xi Synodi peculiare volumen ſcripſit, nec Iacobum Niſibenſem
adfu-

adfuiffe contemnendis rationibꝯ probauit, dummodo exemiffet
ferupulum ab Henrico Norifio iniectū Differt. de Synodo quinta
Oecumenica cap. V. pag. 38. 39. quod *subscriptiones illa ex Ni-*
cana Synodo illuc fuerint asportatae, omnes enim, qui in eodem
Antiocheno Concilio subscripti leguntur, Nicanam quoque Syn-
odum fubfignarunt &c.

XV. Iacobus Tentzelius pariter Principibus cha-
rus fuit & figillatim Inclutissimis Comitibus Schvartz-
burgicis, qui ad res magnas promouendas ipsum in con-
silium adhibuerunt. De Illustrissimis COMITIBVS præstat tace-
re, quam non satis digno sermone exprimere tot ac tanta Eo-
rum Patri præfita beneficia, a quibus & in Senatum Ecclesi-
asticum is cooptatus, & in arduis saepe negotiis interrogatus,
ecclesiarumque visitationibus præfectus fuit, quæ omnia in pa-
tria satis cognita & perspecta sunt. Mirum autem pro temporum
nostrorum ratione videri posset, quî desideratissimus Parens
singularem gratiam apud Serenissimum ac Piissimum quondam
Principem Saxo-Gothanum, ERNESTVM, adeptus fuerit con-
stanterque retinuerit, adeo, vt Serenissimus quoque Filius Eius
atque Successor, FRIDERICVS, beatum virum non modo vi-
uum gratiosissima propensione fuerit, prosequutus sed de mor-
tuo quoque honestissime sentiat; nisi omnibus constaret, a-
nimos Principum fortiori non trahi vinculo, quam pietatis &
virtutum. Quibus cum Iacobus noster per omnem vitam
deditus fuerit, a laudatissimo Principe ERNESTO Gotham
vocatus est anno huius sæculi sexagesimo sexto, vt generali Ec-
clesiarum illius territorii visitationi interesset; ac de aliis quo-
que ad Ecclesiæ Scholarumque emolumentum facientibus sen-
tentiam promeret. Placuit prudentissimo D V C I eruditio
Nostri ac pietas, vt eundem anno septuagesimo mense Aprili
iterum ad se vocaret, ac aliis summis viris, in diuina pariter
cuiusque sapientia exercitatissimis adnumeraret, vt ex-
penderent communi studio Consilium meritiissimi quondam de
Ecclesiâ Theologi, Nicolai Hunnii, de Societate Theologorum
erigenda, qui controversiis Theologicis dirimendis infudarent.
Quæ in hoc Colloquio, inter cuius membra & D. Ioan. Ole-

arius & D. Ioan. Musæus numerabantur, gesta sunt, manu parentis descripta inter præstantiora bibliotheca nostra monumenta reputamus. Hinc licet intelligere, quæ Illustris Seckendorffius in Statu Christianismi lib. III. cap. X. num. 3. memoria prodidit, & ad illustrandum hæcenus dicta apprime faciunt: Ich erinnere mich hierbei eines Gottseeligen Fürsten / der vor erstlichen Jahren mit grosser Mühe und Darbietung vielen Geldes den jenigen Vorschlag gern werckstellig machen helfen wolte / welchen der berühmte Theologus, D. Nicolaus Hunnius / weiland Superintendentens zu Lübeck gethan / daß man nemlich ein gewisses Collegium rechtschaffener gelehrter Theologen zusammen ordnen solte / welche vornehmlich und hauptsächlich dieses Stück des Predig-Amtes und Christlicher Schulkigkeit auff sich nehmen / und wider die falsche Lehre so lange schreiben / biß die Widerwärtige nichts mehr mit Grund auffbringen könnten. Es wurden aber darbey so viel Schwürigkeiten befunden / daß es ohne effect geblieben / gehörere auch freylich eine sonderbahre Erleuchtung und Regierung von Gott darzu / wann hohe Häupter die Kosten und Mühe hierauff / mit zusammengesetzten Rathschlägen / wenden / und die difficultäten (wie mit Göttlicher Verleihung noch wohl zu thun wäre) überwinden wolten. Exceptiones autem Apostatae Frommii capite V. Apologia pag. 1139. & 1140. sustulit ipse Patens, ybi cum Seckendorffio consentit indicatque, eiusmodi Collegium per Dei gratiam adhuc institui posse.

XVI. Porro nihil mirum est, ex utriusque Iacobi nostri institutione ac schola tanquam ex equo Troiano prodiiße viros sapientissimos. Inter Iacobi Nisibeni discipulos, vt solenter stellas emicuit Ephrem Edessenus, de quo superioribus annis peculiari diatriba commentatus sum. Equidem libenter adfentior Celeberrimo Academia nostræ Theologo, Ioan. Andr. Quenstedtio, qui diserte *magnum illum diaconum Edessenum magni olim Iacobi Nisibeni discipulum fuisse* statuit in Dialogo de patris illustrium virorum pag. 607. Idem inter Syros ipsos Abulpharagius (nam talis fuit patria, quanquam Arabice

bice & Syriace Historiam Dynastiarum scripsit, vt a viris doctis
adnotatum nouimus,) dudum obseruauit, pag. 136. editio-
nis Arabice commemorans, Nisibin liberatam esse precibus
مار يعقوب اسقف وسائر افراس Mar Iacobi Episco-
pi ipsius, & Mar Ephremi eiusdem discipuli: vbi recte in La-
tina versione Pocockius pro Mar posuit Sancti, siquidem apud
Hottingerum aliosq; legimus, elogium illud Syriacum, Arabi-
bus quoque Christianis solenne, quum mortuis tribuitur, Lati-
no sanctus vel diuus respondere, quorum tamen posterius ethnicum
potius nec Christianorum sanctus tribuendum esse cenet Rober-
tus Bellarminus in Recognitione operis Controuersiarum. Cæ-
terum quid in illa Nisibensi obsidione fecerit Ephremus, lib.
II. Histor. Eccles. cap. XXX. Theodoretus enarrauit, non ob-
scure innuens, Ephremum eo tempore familiari Iacobi institu-
tione usum esset. Nam si iam tum fuisset in officio Ecclesiastico
constitutus, quorum nullum nisi in patria Edessa vrbe gessit,
quid opus erat, vt propriam ecclesiam relinqueret, ac Nisibi
inter spicula hostium degere mallet? Pariter Iacobus Tentzeli-
us, quum in nostra adhuc Academia degeret, multos bona-
rum artium linguarumque cognitione largissime imbuir, qui
postea summis in Ecclesia pariter ac Republica honoribus fun-
cti sunt: Nec minoribus meritis rem litterariam alii collustra-
runt, in quibus nominasse sufficiat duos Amplissimos Academiae
nostrae Professores, Michaëlem Waltherum, Virum in Theolo-
gia pariter ac Philosophia excellentissimum, Ordinisque nostri
hoc tempore Decanum, & Georgium Casp. Kirchmaierum, O-
ratorem atque Philologum celeberrimum, quorum utrumque
grata mente paternarum institutionum saepe recordari notum
est. Nec minori felicitate Scholam Arnstadiensem direxit a-
lumnosque puriorem Theologiam docuit beatus Parens, qui
potius ex ea etiam orti sunt viri, qui sacris atque ciuilibus of-
ficiis partim nunc funguntur, partim suo tempore admoueri
possunt. Inter illos autem praecipue eminet maxime Reue-
rendus Sondershusanae Dioceseos Antistes, Georgius Fridericus
Meinhardus, Theologus Clarissimus, qui interiori quoque a-
pud

pud Parentem admissione gauisus & ab eo in domum quondam receptus, ut studiis meis præset, tamque feliciter eundem imitatus est, ut vitam moresque eius exactissime referat, viamque Tentzelii imaginem exprimere ab omnibus merito existimetur.

XVII. Quemadmodum vero piorum Ecclesiæ doctorum commune fatum est, ut improborum odiis & persecutionibus premantur, ita uterque Iacobus noster idem experiri necesse habuit, ut virtutes eorū multo magis inclarescent & augerentur. De Iacobo Nisibeno Gennadius memoriæ prodidit, quod unus ex numero sub Maximino persecutore confessorum fuerit, uti in omnibus exemplaribus impressis legitur: Sed Codex MStus, cuius ex Mabillonii secundo Analectorum tomo antea meminimus, legit Maximiano. Vtra autem lectio melior sit, his verbis enunciat Mabillonius pag. 47. rectius in editis legi Maximino, ut in codice Corbeiensi & in Martyrologio Romano. Confirmatur hæc Mabillonii sententia ex Eusebio, qui Galerium Maximinum lib. X. Histor. Eccles. cap. II. dicit τὸν ἐν ἀνατολῇ ἀρχὴν μεσσην, in Orientis partibus Imperium gessisse, ad quas sane Mesopotamia adeoque & Nisibis spectabat. Annum persecutionis ex eodem Eusebii loco eleganter vindicauit Pagius, Dissert. Hypat. lib. II. cap. XIII. pag. 247. eamque quinquennialium imperii Augustei Maximini occasione A. C. 311. circa mensem Nouembrem rursus excitatam esse docuit. Quamobrem haud accurate Natalis Alexander Synopsi Sac. IV. cap. VI. Artic. X. pag. 474. Maximianum retinuit. Qui autem fuerint Confessores, neminem antiquitatum Ecclesiasticarum non prorsus rudem latere potest, & a viris doctis pridem obseruatum habetur. Isaacus Casaubonus memoriæ nunc succurrit, Exerc. XV. Diatriba XII. pag. 275. Qui Cypriani tempore Confessores dicebantur, grauissima pro Christo mala passi erant a Paganis; & multi eorum mutilati parte aliqua corporis fuerant, quod morte ipsa est durius. itaque Confessoribus bonos pene idem tributus ac Martyribus. Alter Iacobus noster, quanquam de publicis eiusmodi Christiani nominis persequu-

sequutionibus nihil perpeſſus eſt, non caruit tamen ſuis calamitatibus, & ſenſit clandeſtinas improborum inſidias, qui ſi non vitam, ſantam ſane beati viri dilacerare ſtuderunt, nec deſue-
runt alii, qui externis quidem ſermonibus nihil niſi amicitiam
venerationemque erga eum præ ſe ferebant, interioribus autem
cordis ſenſibus longiſſime diſtabant. Verum ille ſemper boni
rectique conſcius indignos maleuolorum ſuſurros fortiter con-
temnebat, diuinæque vltioni aduerſarios relinquens verum vir-
tutis tramitem inoffenſo pede decurrebat.

locum fuffecto Babarraibo. Descripserat autem Abulpharagius,
 quomodo Constantini M. corpus CPolim aduectum & in templo
 Apostolorum conditum fuerit: & quemadmodum Sapo-
 res eodem anno Nisibin rursus obsidione cinxerit, precibus Ephre-
 miterum pulsus. Sed Abulpharagium in recensione Nisibenarum,
 obsidionum errare iam supra ostendimus: & Nisibin quidem op-
 pugnavit Sapo- res paullo post mortem Constantini, neque tamen
 eodem anno 337. quo illum decessisse monstrat celeberrimus
 Schurizfleischius noster in fine Dissertationis de Antiquitatibus
 primi Christianorum Imperatoris, & quo exequias illi CPoli fa-
 ctas esse indicat Eusebius lib. IV. de vita Constantini cap. LXVI &
 LXVII. sed sequenti 338. quod a viris doctis, Petauio præsertim &
 Garnerio, commonstratum est. Quare si eo anno decessit Iacobus
 Nisibensis, quo precibus non tantum Ephre- mi sed suis præcipue (vt
 antea docuimus) libertatem ciuibz seruauit, & Saporis insidias il-
 ludit, ad annum 338. mors eius referenda est. In Chronico quidem
 Hieronymi ad annum 339. illa obsidio refertur; sed inter eruditos
 certum hodie est, annorum Christi additionem ab ipsa Hierony-
 mi manu profectam non esse. Verum Baronius in Martyrologio,
 Miræus Notis ad Gennadium, & Schellstratius in Concilio Antio-
 cheno ad Acta Alexandri Episcopi Constantinopolitani prouocant,
 quæ Iacobum nostrum isti quoque Synodo initio anni 341. habi-
 tæ adfuisse fidem faciant: Quorum *γνωρίαν* saluâ isto adhuc
 anno vixisse Iacobum necesse est. Non multo tamen post obiisse
 nec annum quinquagesimum illius Sæc. attigisse altera Nisibenæ
 vr- bis obsidio a Sapore tum instituta requirit: cum enim ea facta est
 sub Constantio, id est anno Christi 350. non Iacobus sed Vologesus e-
 rat Nisibena vr- bis Episcopus, vt docet Auctor Chronici Alexandrini,
 obseruante Valesio Annot. in Theodoretum pag. 26. Porro dies
 mortis Iacobi non minus incertus est, Græcos eum pridie Kl. No-
 uembr. in Menæis adscribere Baronius obseruauit ad d. XV. Iulii,
 quo Latini memoriam Iacobi solent instituere. Quum autem a-
 pud veteres scriptores hodie impressos nihil eam in rem reperia-
 tur, non opus est, vt incertis coniecturis inhæreamus ad defini-
 endum, vtri Ecclesiæ veritatis laus hac parte debeatur. Magis obser-
 uari meretur discrimen, quod inter Gennadii antea descriptam
 narrationem & Theodoretum occurrit, qui de corporis Iacobi
 trans-

translatione in Philotheo pag. 772. hæc confitetur auit: *ἡρόντι δὲ
διελθόντος, καὶ τῶς τῆ ἀσείας ὑπὸ τῆ θνικαῦτα κρατῆντος τῇ
περσικῇ βασιλείᾳ παραδοθέντος, ἔχρησαν μὲν ἅπαντες οἱ τὴν
πόλιν οἰκῶντες, ἔφερον δὲ τῆ προμάχῃ τὴ σῶμα ἀσχαλόντες
μὲν καὶ ὀλοφύεσθαι τὴν μετοικίαν, ἄδοντες δὲ τῆ νικηφύρεως
ἀρσεως τὴν δύναμιν. ἡ γὰρ ἂν ἐκείνη πείοντῃ ὑπὸ βαρβα-
ργίς ἐγίνοντο. Temporis autem successu, cum in Persicam domina-
tionem ab eo, qui tunc imperabat, tradita vrbs fuisset, excesse-
runt incola universi, & defensoris sui corpus extulerunt, migra-
tionem quidem agre ferentes & dolentes, sed fortissimi victoris
virtutem laudibus celebrantes. Nec enim illo superstite in Bar-
barorum potestatem venissent. Sed Gennadius Iuliani iussu reli-
quias Iacobi elatas esse adfirmat. Vtri magis adhærendum sit, fa-
cile perspicient harum rerum periti. Non absudit Gennadii narra-
tio a Iuliani genio, qui Babylæ etiam aliorumque martyrum
corpora effodi & in alia loca transferri iussit: Theodoretus autem
binis memoriæ lapsibus, quos in Iacobi elogio, docente Garnerio,
commisit, tertium facile superaddere potuit, aut credulorum sal-
tem Monachorum temporis rationes exacte non curantium ser-
monibus deceptus esse utcunque tamen ea res se habeat, nec cum
Theodoreti, nec cum Gennadii recensione convenit Angelus a S.
Ioseph in Gazophylacio linguæ Persarum pag. 251. *Nisibis. Vix
tanta civitatis aliud superest vestigium, quam ingens massa Basili-
cæ S. Iacobi Episcopi, cuius etiam nunc visitur sepulcrum in crypta
exuviiis vacuum: constat ædes ex marmore præstantissimo, im-
penso labore, mirifice celato: nunc porro in bubonum & vesper-
tilionum receptaculum versa est domus Dei. At si Iuliani Imp. ius-
su aut incolarum saltem Nisibensium fuga Iacobi ossa data sunt,
quomodo ei extructa est Basilica? nisi forte dixerit aliquis, cry-
ptam illam transfumtis etiam ossibus remansisse, & basilicam sal-
tem in honorem Iacobi erectam esse: quorum tamen utrumque
idoneis veterum monumentis edocendum foret.**

XIX. Atque hæcenus quidem recensui, quæ de ultimis
Iacobi Nisibeni fatis inuenire potui: Sed ea in Iacobo Tentze-
lio sine interiori animi moerore non recorder, nec multa de
ipsis commemorare dolor permittit. Etenim beatus vir continuis
officii laboribus fractus in maximum vitæ discrimen incidit mense

Janu-

Januario anni 1683. quod paullo suppressum acrius postea sub initium Aprilis erupit, eumq; lecto adfixum per integrum fere semestrem domi detinuit, donec tandem speciali Dei gratia prostrata corporis vires redire inciperent, vt paulatim pristino munere fungi posset. Sed nunquam tamen in integrum fuit restitutus, quantacumq; etiam studia præstantissimi Medici adhibuerint, morbus potius lethalis mense Martio anni superioris iterum eum inuasit, tandemq; vigesimo quinto illius die plane exstinxit. Etenim vigesimo die (in quem feria sexta post Dominicam Quadragesimæ secundam incidebat) mane sermonem sacrum ad populum more consueto habiturus subito infirmitate maxima posternebatur, vt ipsi templum ingredi haud liceret, verum ab alio quodam concio publice foret prælegenda, eo fere modo, quem Gregorius Magnus aliiq; olim Episcopi obseruarunt, ac imbecillitate prohibiti homilias a se conscriptas legi ab aliis curarunt. Intererant autem multi pii prudentesq; viri, qui vltima sermonis Tentzeliani verba elegantissimum votum continentia singularem stimulum in auditorum animis reliquisse & cantioni cygneæ adsimilanda esse censuerunt, mihiq; plus semel auctores fuerunt, vt cum omnibus ea communicarem. Quorum honestis desiderijs hoc loco satisfacere & pietas in Parentem & promittitudo erga Amicos a me requirit. Hæc igitur modo claudebatur illa homilia: Helffe nur der getreue/barmhertzige/ und in seinem Wesen so wohl/ als in seinen Verheissungen unveränderliche Gott/ daß an unser keinem das bittere Leyden unsers hochverdienten Herren und Heylandes **YESU CHRISTI** verlohren sey; sondern vielmehr wir alle und jede durch desselben Krafft/ die unendlich und unveränderlich ist/befehret/ zu wahrem Glauben gebracht/ zu allen guten Wercken fertig gemacht/ bey wahrem Glauben beständig biß an unser Ende erhalten / in demselben auch fröhlich von hinnen scheiden/ der Seelen nach so bald nach unsern Abschieden von den Engeln in Abrahams Schoß getragen/ darinnen biß an den lieben jüngsten Tag wol und reichlich getröset / den verstorbenen Leibern aber nach in den Gräbern kräftig bewahret/ aus denenselben am Ende dieser Welt/ als am grossen Tage der Wiedererstattung / fröhlich wieder aufferwecket/ und sodann mit Leibern und Seelen verkläret/ schön/ hell/ gleich als die Sonne zu vollkommener Genießung der ewigen Freude und Herrlichkeit eingeleitet werden mögen / da wir Ihn denn für

für alle hier genossene Gut- und Wohlthaten wollen loben / rühmen
und preisen in alle ewige Ewigkeit / Amen! in Jesu Nahmen! Amen!

XX. Porro notatu dignissimus est dies, quo decessit, nec sine observa-
tione prætermittendum temporis momentum, quo spiritum efflauit de-
sideratissimus Parens. Diem iamtum indicauius vigesimum quintum
Martii, quem Latinorum more octauum Kalendarum Aprilium dicere
licet. Quis autem in sacra antiquitate adeo hospes est, ut ignoret, a mul-
tis veterum peculiaris & magnifica opera diuina hoc die peracta cense-
si? Equidem multa haud profundam verba in primo eorum inquirendo,
quod mundi natalem vocant, siquid plurimi sunt inter eruditos, qui con-
dictū mundū non verno sed autumnali tempore volunt, nec ineptis rati-
onib; persuadere aliis conantur. Neq; pluribus dicam de *ΕΥΑΓΓΕΛΙΣΤΩ*
sive annunciatione Mariæ, ut vulgo vocant, cuius memoriam illo die in
Oriente pariter & Occidente a Christianis recolli obseruat Seldenus libro
III. de Synedriis cap. XV. n. 9. ybi simul ex Calcasendio, Muhammeda
no scriptore, notat, id inter septem maiora Coptitarum festa primo lo-
co numerari. Accedit vetustissima Ecclesiæ traditio, quod octauo Kalend.
Aprilis Christus passus fuerit, ex Tertulliano, Lactantio, Augustino aliis-
que Patribus ostensa & comprobata a Ger. Ioan. Vossio Dissert. de Tem-
pore Dominicæ Passionis. Enimvero non placet hac opinio modernis
Chronographis, variisq; argumentis impugnatur ex Nostratibus ab A-
gidio Strauchio tum in Breviario Chronolog. cap. XLI. Quæst. i. tum pe-
culiaribus de Paschate Dissertationibus: ex Reformatis a Frid. Spanhe-
mio in Quaternione Dissertat. Historicarum Dissert. II. a num. 9. usq; ad
25. & ex Pontificiis a Natali Alexandro Histor. Eccles. Sæc. 1. Dissert. II.
qui pag. 260. coniicit, illam veterum persuasionem inde ortam esse, quod Apo-
stoli anno Aera Vulgaris 34. Passionem Christi proxime sequente Resurrectionis
Christi memoriam 25. Martii celebrarunt, quæ eo altius eorum infixamentibus
est, quod eodem die Dominicam Incarnationem recolerent. Cum ergo primi huius
in Christianorum Paschatis celebras apud Fideles percubisset, qui successu
temporis post rerum Iudaicarum subuersionem, nouamq; temporum instituta
rationem, quo præcise anno Christus passus esset, ignorabant; tenui adhuc huius
diei 25. Martii alluente memoria, hunc ad ipsiusmet passionis tempus referen-
dum existimauerunt; cum potius ad primum Christianorum Pascha referendum
fuisse videatur. Quid de hac coniectura statuendum sit, facile perspicuus
prudentiores, Num adeo negligentes fuerint primæui Christiani in vero
passionis Christi die adnotando, iidem iudicabunt, Necessarium sane
habuiss. Alexander, ad primos illos fideles opiniones suas extendere, quem
non latebat ex Theophili Cæsariensis epistola Synodica, Gallos semper
celebrasse octauum Kalend. Aprilis. Coëgit enim Theophilus Synodum
in controuersia Paschali circa sæculi secundi finem cuius acta nuper
primus publicauit Stephanus Baluzius Tomo 1. nouæ Collectionis Con-
cilioꝝ a pag. 13. Cæterum fatentur viri temporum peritissimi, difficil-
limas ea de re superesse controuersias, quibus sopiendis ex Annalibus
Siniis memorabilem locum de Eclipsi solis, quæ tempore Passionis Chris-

Si contigit, nuperrime publicauit Andreas Müllerus, vir in hac littera-
 tura summus, cuius Latinam versionem in gratiam Lectoris adscribamus:
Anno septimo Imperatoris Quang-vu-ti, durante Vere, Luna tertia, Sol sub
quei-hai densam patiebatur Eclipsin: cum huiusmodi edictum Imperator vni-
uersis Populis promulgabat: Est hoc opus superioris Domini. Quare Vocula &
Estatus Titulus noster XIM porrone & suppetur a supplicibus, neu admittatur a
Scribis seu Cancellariis. Mentionem huius testimonii ex Hadriano Gressio-
 nio pridem fecit Huetius in Demonstr. Euang. Propos. III, num. 8. in-
 tegramq; disquisitionem promisit Mullerus, qui in Notis ad Specimen
 illud Sinicum pag. 1. obseruat, Quang-vu-tium cepisse regnare anno Yi-yen,
 hoc est, anno XXII. Cycli XLVI. Anno nempe Christi Domini XXV. Acta Dio-
 nyf. cum quo & initium imperii Quang-vu-tiani composuerat in Cata-
 logo librorum Sinicorum MSSorum, qui in Bibliotheca Electorali
 Brandenburgica adseruantur, germanice anno 1683. edito pag. 14. Quæ
 comparatio si vera est, non potest non Quang-vu-tii annus septimus in
 Æra Dionys. siue vulgaris 32. cadere, quod agnoscit etiam præter Gressio-
 nium & Huetium Dominicus Gabiani de incrementis Ecclesiæ Sinicæ
 pag. 151. cuius verba Müllerus exhibet pag. 34. 35. qui tamen pag. 27.
 & 28. passionem Christi ad annum 30. Epochæ vulgaræ retulit, quum Pa-
 scha Iudaicum esset 8. Aprilis fer. VII. Sed alii de intricatissimo hoc ne-
 gotio videant, ego in præsentiarum satis habeo, optimum Parentem, si
 non eodem die, quo Christus passus est (vix saltem ex veterum opinione
 ante explicata consequitur) eadem tamen hora, qua Seruato rolimino-
 ster, animam Deo reddisse. Constat enim ex Historia Evangelica, circa
 horā nonnam Christum pro totius humani generis salute mortem subisse.
 At illi horæ Iudaicæ apud nos respondet tertia pomeridiana, qua Paren-
 tem meum non sine peculiari Dei ordinatione decessisse sæpius recorda-
 rus sum, neque exiguum inde solatium accepi, quandoquidem id pro-
 pterea factum esse cognoui, ut fiduciam in Seruatorem, puritatem doctrinæ,
 vitæque sanctitatem morte notabili obsignaret.

XXI. Exequiæ proxima die Dominica, quæ in XXIX. Martii in-
 cidebat, celebrabantur, corpusque in præcipua Ecclesia condebatur, &
 e regione ferme suggesti versus Baptisterium deponebatur. Equidem
 modus Episcopos in templis sepeliendi quo tempore cœperit, non facile
 dictu est: neque antiquius mihi exemplum occurrit Epiphanio, quem
 iussu Arcadii Imperatoris in Ecclesia sepultum refert Polybius Episco-
 pus Rhinocorurorum in epistola ad Salinum Constantiensem, quæ
 To. II. Operum Epiphanii inserta habetur pag. 380. Plura de hoc
 more suggerunt Magnus Zieglerus noster Notis in Lancellottum,
 Lib. II. Tir. IV. & Iac. Goarus Notis in Euchologium Græcorum
 pag 523 Quum autem mortuis olim non Iudæi tantum & Gentiles, sed
 Christiani etiam epitaphia erexerint, ut ex Gruteriano & Reinesiano In-
 scriptionum opere, tum Bossi atq; Aringhi Roma subterranea, item Sir-
 mondi, Mabillonij; & similium antiquariorum scriptis nemini harum
 litterarum perito ignotum esse potest; nos quoq; Parenti optime merito
 monumentum erigimus, lapidiq; sequentem inscriptionem
 incidi curabimus;